



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de  
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Liber Primvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

# VITÆ IGNA- TII LOIOLAE

LIBER PRIMVS.

ORTVS IGNA TII, ET VITA,  
*antequam à seculi vanitate conuer-*  
*teretur.*

CAPVT PRIMVM.



IGNATIVS Loiola So-  
cietatis IESV auctor,  
atque institutor, nobi-  
li loco natus est, in ea  
Hispaniæ atque Can-  
tabriæ parte, quæ Gui-  
puzcoa, vel Prouincia vulgo dicitur,  
anno humanæ salutis, 1491. Innocen-  
tio VIII. Pont. Max. Federico III. Cæ-  
sare Augusto, Ferdinando, atque Isa-  
bella, Catholicis Hispaniarum Regi-  
bus. Patrem habuit Beltranum Loio-  
la Dominum, Loioleæ familiæ perã-  
tiquæ atque illustris caput. Matrem  
verò Marinam Sonem æquè nobi-  
lem sceminam, quæ filias quinque ge-  
nuit, filios octo: ex quibus Ignatium  
postremum felici partu enixa est Qui  
puerili ætate transacta, in curiam Fer-  
di.

dirandi Regis à parentibus missus est. Adolescentiam autem ingressus, & bellica gloria, & fratrum æmulatione commotus, in eo multum operæ ponebat, ut rei militaris laude esset illustris. Anno igitur Domini 1521. cum Pompeiopolitanam arcem Galli oppugnarent vehementius, (est autem Pompeiopolis ciuitas regni Nauarræ caput) ipsique duces, re desperata, deditioem cogitarent, eius potissimum opera factum est, ut res differretur, & acrius resisteretur ab Hispanis. Sed cum omnes ad oppugnationem machinas Galli admouissent, & tormentis continenter mœnia verberarent, aenea pila bombardæ in eam muri partem, qua Ignatius propugnabat, impacta, crus eius dextrum penitus confregit, atque comminuit: sinistrum verò lapis de muro vi globi labefactato excussus, grauius vulnerauit. Ignatio prostrato, reliqui omnes, qui illius virtute nitebantur, spe defensionis abiecta, deditioem Gallis fecerunt, à quibus captus Ignatius, & in castra ductus, humaniter acceptus est, atque à medicis diligenter curatus. Post aliquot dies liberaliter etiam ad suos dimissus, leuicariorum humeris in patriam reue-

ctus

ctus est. Ibi cum vulnus, dextri praesertim cruris, in dies ingrauesceret, accersiti sunt denuò medici, & chirurgi, qui tibiam rursus esse disiungendam censuerunt: vt quæ ossa, siue aliorum medicorum incuria, minus aptè coagmentata, siue itineris agitatione luxata fuerant, suis locis restituta, coalescerent. Quam excarnificationem ita pertulit, vt neque ingemisceret, neque vultum mutaret, neque vllum infirmioris animi signum ederet: quod & ante à, & postea semper in reliquis corporis cruciamentis, quæ passus est, fortiter praestitit. Inualefcebat interim morbus quotidie magis, eoque iam processerat, vt ab extremo vitæ periculo non multum abesse videretur. Itaque admonitus, peccatorum suorum confessionem fecit, sacramentorumque armis se praemuniuit pridie illius diei, qui beatissimis Apostolis Petro & Paulo sacer est. Cum igitur res iam ad summum vitæ discrimen adducta esset, mortemque  
immi-

imminere iudicaret medici, si ad  
mediam vsque noctem, nihil me-  
lius euenerit: ea ipsa hora vis  
morbi remitti apertè cœpit: quod  
non absque diuinæ prouidentia con-  
silio, diuo Petro deprecatore, fa-  
ctum credimus, quem præcipua qua-  
dam Ignatius religione semper co-  
luerat, quemque adesse, sanitatem-  
que adferre, sibi videre visus est. De-  
pulso mortis periculo, ossa solidari  
iam cœperant, & arctius constringi:  
duo tamen supererant incommo-  
da; alterum efficiebat os sub genu  
relictum, quod extra prominebat  
foedius, alterum tibiæ contractæ bre-  
uitas, quæ & rectè illum incedere,  
& pedibus firmiter consistere pro-  
hibebat. Quibus incommodis ut  
mederetur, cum elegantia esset ha-  
bitusque corporis studiosissimus, at-  
que institutum militaris vitæ cur-  
sam prosequi statuisset; ex medicis  
primum quæsiuit, possetne os il-  
lud quod deformiter eminebat ex-  
cidi? Possè quidem affirmarunt, sed

gra-

grauissimo tamen dolore, & omnium quos in curatione tolerasset, maximo. Verum ille nihilominus, ut suae voluntati satisfaceret, & (quod me audiente narrauit) ut habiles atque elegantes urbanas ocreas gestare posset, secari os iussit; neque à proposito abduci potuit, ligarique se omnino vetuit, eademque constantis animi firmitate cruciatum illum pertulit, qua superiores vicerat. Atque hoc remedio deformitas ossis sublata est. Tibiæ contractio aliquantulum curata est, cum alijs medicamentis, tum machinis quibusdam, quibus magno multorum dierum dolore, continenter eius breuitas protendebatur, neque tamen usque adeo produci potuit, quin altera breuior aliquanto relinqueretur.

QVARRATIONE ASAECVLI

*vanitatis ad Deum conuersus sit*

CAPVT II.

**I**Nterea cum in lecto iacere cogeretur, offerque in prophanis libris legendis multum temporis collocare solitus, aliquem eiusmodi librum sibi ad manum dari iussit, ut eius lectione tempus falleret. Negantibus familiaribus domi eiusmodi

modi esse libros, duos, Hispanica lingua scriptos accepit, ne proflus ociosus esset, quorum alter Christi Salvatoris nostri, alter Sanctorum vitas continebat. Atque horum quidem librorum lectione, sensim eius animus immutari, & imitandi quæ legebat, studio quodã affici videbatur. Sed quoniam antea vitæ consuetudo corroborata erat, inanium rursus cogitationum concursu obruebantur, ne coalescerent illa tum primùm excepta pietatis semina. Aderat tamen militi suo diuina misericordia, & consopitam virtutem exsuscitabat interdum, ludicrisque, & fallacibus cogitationibus, veras, solidasq; cogitationes ex recenti lectione rursus obiecerat. Quibus commotus eius animus ad Christi, & Sanctorum imitationem tam vehementer accendebatur, ut nullis difficultatibus (quæ multæ occurrebant) ab eo proposito deterreretur. In hac contrariarum cogitationum vicissitudine, distrahebatur in varias sententias, & ancipiti deliberandi cura, huc atque illuc impellebatur: cum mundus apud se retinere Ignatium conareret, Christus verò ad se illum vocaret, & traheret. Erat tamẽ illud in hac cogitatione

B

tatio-

rationū varietate discernimē, quod fluxe  
 illæ & vanæ principia habebant læta,  
 exitus amaros. Nam præsentēs cūm  
 aderant, suauiter quidem sensibus  
 blandiebantur, sed recedentes, quasi  
 aculeo quodam infixō, mentem aridam,  
 & sibi met displicētem relinquebāt.  
 At verō illę cogitationes de Deo,  
 de Hierosolymitana profectiōe, de  
 vitæ asperitate sectanda, de virtutis di-  
 gnitate complectenda, non solum dū  
 aderant, iocunditatis plenissimæ erāt,  
 verū etiam abeuntes, præclara re-  
 linquebant suæ lucis & suauitatis im-  
 pressa vestigia. In quod discrimen à  
 multis quidem diebus præteritum, &  
 incognitum, quodam die diuinitus il-  
 lustratus, animum intendere cœpit, &  
 tum demum intelligere, quantum in-  
 ter utrasque cogitationes interesset.  
 Quā comparationem cogitationum  
 cum cogitationibus, & spiritus cum  
 spiritu contentionē, primam omnium  
 ratiocinationem fuisse perhibebat ca-  
 num, quas plurimas postea de diuinis  
 rebus Ignatius habuit. Ex qua, vlti-  
 deinceps vberiore spiritalium rerū au-  
 ctā, omnium, quas in exercitijs tradidit  
 de spirituum diuersitate, præceptionum  
 nulli profluxerunt. Etenim animad-

verti



uertit primùm duos esse spiritus, Dei  
 & mundi, non solum diuersos, sed pe-  
 nitus etiam inter sese pugnantibus; tum  
 diligenter obseruauit vtriusq; spiritus  
 proprietates. Qua ex obseruatione, di-  
 uino munere, & lux consecuta in ra-  
 tione est ad eiusmodi spiritus discer-  
 nendos ac dijudicandos: & vis quæ-  
 dam in voluntate excellens ad ea, quæ  
 mundus suggerit, constanter repudi-  
 anda, ea verò appetenda, & suscipien-  
 da, quæ Dei spiritus proponit, ac sua-  
 det. Quæ principia in omnem postea  
 vitam diligentissimè seruauit. In hūc  
 igitur modum ab oculis depulsa cali-  
 gine, cum processus aliquos iā effecis-  
 set, & assidua piorum librorum lectio-  
 ne diuturna que consideratione diui-  
 narum rerum, quas animo conceperat,  
 se aduersus omnes diaboli impe-  
 tus obfirmasset; cepit serio & graui-  
 ter mutandæ vitæ cogitationem suscipere,  
 in mētem reuocare peccatorū suo-  
 rum maculas, ac secum expendere,  
 quibus illas supplicij deleret. Quod cū  
 pia cogitatione versaret, & sancta il-  
 la æmulandi Christū, & sanctos viros  
 desideria animo recurrerent, ad om-  
 nes difficultates perumpendas satis  
 ea se cogitatione munitū esse existima-

B 2

bat:

bat: in Deo omnia poterō, dat velle,  
 dabit & perficere. Cū igitur vitam  
 commutare deliberatum ipsi iam ef-  
 fet, atque constitutum. de nocte (vt so-  
 lebat) surrexit è cubili ad orationem  
 aliquando, anxia illa, atque ancipiti  
 deliberandi cura liberatus, vt sese per-  
 petuum Deo atq; suauissimum sacrifi-  
 ciū offerret. Dum autem ante imagi-  
 nem immaculatæ virginis Mariæ in  
 genua procumbit, & feruentes atque  
 humili fiducia mixtas preces ben-  
 gnissimo atq; dulcissimo filio per pu-  
 rissimam matrem offert, seque spo-  
 det vanitatis castris contemptis, in-  
 ius potestate fore, eius signa fortitudo  
 atque perseueranter sequiturum, su-  
 illo Imperatore omnino meriturum  
 ecce tibi, terræ motu de repente facti  
 domus tota contremiscit, fragor in-  
 gens exauditur, cubiculum vbi Ignatius  
 us erat à fundamentis cōcutitur. Ita  
 que, quemadmodum locus, in quo  
 Apostoli orabāt, diuinitus contremuit  
 & carcer, vbi Paulus & Silas vincti  
 nocte in oratione vigilabant, terræ  
 motu cōcussus est, eoq; signo declarauit  
 Dominus, & feruorū suorū virtutē  
 & orationis efficacitatē: sic nunc Ignatius  
 orante, & cubiculo contremiscit

Act. 16.

voluit fortasse idem Dominus ostendere Ignatii preces sibi gratas, & ad impetrandum efficaces. Vel certè, quod in alijs historijs Sanctorum legimus, Demona iam victus ab Ignatio, atque superatus aufugit, & frendens ac fremens, non obscura diritatis atque indignationis suæ dedit signa. Hæc gesta sunt. Certi tamen ab Ignatio nihil aliud cõstitutum est, nisi vt Hierosolymam, vbi conualuisset, proficisceretur, seq; prius flagellis, ieiunijs & id genus asperitatib; generosa quadam indignatione conficeret. Atque his desiderijs tam incensis, cogitationes illæ sordidæ & inanes paulatim refrigescabant. Sed hæc illius desideria excitata iam & confirmata, multo quàm antea inflammavit ardentius præclara quædam atque admirabilis visio. Nam vigilanti nocte quadam Ignatio, clarissima beatissimæ virginis Mariæ, vnà cum sancto puero Iesu species obiecta est: qua aliquãdiu permanente, mirificè recreatus est, & diuina quadam voluptate perfusus. Vnde tantum cum præteritæ vitæ ta diũ cepit, maximeque earum rerum, quæ cum obscœna delectatione coniu-

iur-

iunctæ sunt, vt omnium impudica-  
rum rerū imagines, ex animo eius ef-  
fluere omnino viderentur. Et sanè ve-  
rā fuisse visionem ac fructuosam, res  
ipsa comprobauit, cum ab ea hora ad  
extremum vsque spiritum, castitatis  
integritatem diuino beneficio con-  
seruauerit. Hæc meditantem, & res  
maximas animo molientem, frater e-  
ius, reliquique domestici, sui factum  
esse dissimilem, non magno negotio  
deprehenderunt. Quamuis enim ani-  
mi sui sensum nulli detegeret, vult<sup>us</sup> ta-  
men satis, illo tacente loquebatur. Cū  
præsertim accederet iugis precatio,  
frequensque lectio, non iam sermo-  
nes ludicri cum familiaribus, sed de  
diuinis rebus, pietatis, grauitatisque  
plena colloquia, multa & diligēs scri-  
ptio. Scribebat enim pulcherrima  
quæq;, ac maximè insignia Christi,  
beatæ Virginis, aliorumq; Sanctorū,  
tū verba, tū facta, & in librū perpolitū,  
atque elegantem, memoriæ causa,  
quā optimis litterarum notis re-  
ferebat: Et quidē aureis litteris Chri-  
sti, puniceis, beatæ Virginis, varijs co-  
lorib. reliquorū Sāctorū exempla. Sed  
quanquā ex hisce occupationib. ma-  
gnā ipse voluptatē caperet, illa tamen

erat

erat maxima, quam ex fixo cæli, stel-  
 larumque omnium percipiebat aspe-  
 ctu, quod quidem & sæpè, & diu facie-  
 bat, quòd se vehementer accendi ad  
 Deo seuiendum, cælestium orbium  
 contèplatione sentiret: quod non eo  
 solum tempore, sed in omni postea vi-  
 la seruauit. Audiuimus enim sæpè il-  
 lum, extrema etiam senectute, cum in  
 cælum quâ liber circumspectus erat,  
 oculos sustulisset, eosque aliquanti-  
 sper fixos habuisset, obortis præ læti-  
 tia lachrymis, dicentem: Heu quam  
 sordet terra, cum cælum aspicio. Hoc  
 eodem tempore in pijs exercitatiõni-  
 bus, quas diximus, versanti, & animû  
 ad maiora paranti, illa etiam cogita-  
 tio subiit, quidnam Hierosolymis re-  
 diens, potissimum facturum esset. Ex-  
 quirebat enim optimum vitæ statum  
 in quo totum se, omnibus rebus post-  
 habitis, collocaret: & summa par-  
 simonia, atque austeritate  
 victus macera-  
 raret.

B 4

IX

## EX PATRIA IN MONTEM

*Serratum proficiscitur.*

## CAPVT III.

Gen. 12.

Sanitate utcumque recuperata, spe-  
 cie quidem Ducis Naiarę inuisendi  
 (quo cū magna erat Loioleæ familię,  
 vetusque coniunctio) sed reuera ut e-  
 grederetur de domo, & cognatione  
 sua, profectioem parat Ignatius.  
 Quem Martinus Garsia frater natu ma-  
 ximus & familię caput, rem odoratus,  
 seuoatū in interius cubiculam ro-  
 gat, & obtestatur, ne se suosque om-  
 nes perditum eat, etiam atque etiam  
 cogitet, quā directum ad gloriam sem-  
 iter sit ingressus, quas res gesserit, qua  
 spe & animi & ingenij sit. Omnia, in-  
 quit, in te magna sunt: ingenium, gnit-  
 iudicium, animus, nobilitas, gratia, xerit  
 principium, ciuium beneuolentia, rei inue-  
 militaris vsus, prudentia: ad hęc flo-  
 litas, rens ac firma ætas, magna expectatio prio-  
 omnium: siccine tot spes, tam solitu-  
 das, tam florentes euertes? omnium mod-  
 expectationem falles? familiam no-  
 stram tot ornamentis, quę tibi coeptā d co-  
 viā insistenti sunt proposita, spoliabis? deba-  
 nisi ego cōtate, tu tamē auctoritate ma-  
 cong

ior ca.

iores. Vide, quæso, ne quid in te admittas, quod non solum speratum nobis, nostræque familiæ decus adimat, sed etiam ignominia notas inurar. Ad hæc Ignatius breuiter se sui maiorumque suorum esse memorem, daturum operam, ne ab illis degenerasse, aut familiaris sue splendor obscurasse videatur. Quibus verbis non tam placuit animi fratris, quam illum ab se excussit, atque itineri se dedit. In hoc igitur itinere, quod ab beatæ Virginis ede, in Monte Serrato fecit, duobus ab se famulis dimissis, singulis se noctibus verberibus grauius afficiebat: quod quidem ab eo die, qui initium profectiois fuit, semper in itinere seruauit. Et ut intellegamus, quibus Deus quasi gradibus in milite suo rerum diuinarum cognitionem, animique virtutem auerterit, hoc ille tempore, minimè sanè reuoluebat, quid caritas, quid humilitas, quid patientia, quid sui contemptio, quæ cuiusque virtutis vis, & naturam esset, quibus finibus temperantiam modum circumscriberet, quid ratio, quid spiritualis prudentia postularer: sed id complexus, quod optimè tunc uidebatur, & præsentis statui maximè congruebat, totus in eo erat, ut res  
maxi-

maximas, & maximè arduas, quæ pos-  
 sitæ sunt in corporis afflictatione, per-  
 ficeret: idque hac ratione ductus de-  
 cernebat, quod ad hæc normam sancti  
 viri (quos sibi ad imitandum propo-  
 fuerat) se cõformassent. Nã iam tũ  
 Deus regebat Ignatium, vt id semper  
 spectaret, id quæreret, quod ad maxi-  
 mam Dei gloriam fore iudicaret, id  
 que antiquissimum semper habuit. Illi  
 læ tamen accessio iam facta erat, vt in  
 ijs corporis acerbitatibus confectan-  
 dis, non tam peccatorum suorum  
 quàm Deo placendi rationem duceret.  
 Itaque, detestabatur ille quidem  
 præteritiæ vitæ crimina, in ijs tamen  
 pœnis, quas ad illa diluēda sponte su-  
 bibat, tã erat accensus, & Deo gratifican-  
 di studio quodam inflammatus, vt illi  
 las cum susciperet, non tã peccata quæ  
 Dei honorem atque gloriã sibi pone-  
 retante oculos.

Pergentē cœpto itinere Ignatium biuium  
 & recta Montem Serratum versus provin-  
 gradientem, Sarracenus quidam, subena-  
 Maurus affecutus est (Erant per id tẽtet, &  
 pus in Hispania Tarraconensi adieret  
 huc aliqui ex antiquis eius gentis reum in-  
 liquijs) Cum vnã irent, incidit (vt fit) mittere  
 illis sermo de virginitate beatæ Virginitatis

gini



ginis Mariæ, quam cum in conceptu  
 filij concederet Maurus, à partu nega-  
 ret, ad eamq; rē naturales rationes ali-  
 quot adferret, neque ad veritatē flecti  
 posset ab Ignatio, celeriter præcessit,  
 solumque Ignatium reliquit, hæren-  
 tem diu, multumque dubitantem, v-  
 trum ab se pietas Christiana exigeret,  
 vt Maurum consequeretur, & pugio-  
 ne confoderet, quòd de beatissima &  
 immaculata Virgine coram se igno-  
 minosè locutus fuisset. Homo quippe  
 militaris, & fallaci veri honoris imi-  
 tatione olim delusus, dedecori sibi  
 esse ducebat, si quid à religionis  
 Christianæ inimico, se audiente,  
 de inuiolata sacrosanctæ Virgi-  
 nis integritate impunè detrahere-  
 tur. Quæ quidem cogitatio in speci-  
 em pia, diu, multumque rudem tunc  
 Christi militem torsit, in eamque  
 deliberationē tādē induxit, vt vbi ad  
 iumbiuium (vnde è via publica ad oppidū-  
 s prævicinū Mauri declinarat) cōstitisset, ha-  
 siubenas mulæ, quæ vehebatur, permitte-  
 d tēret, & si ad locum, vbi Maurus erat, di-  
 aderteret, quæsitum illum, atque intue-  
 s reum interficeret, sin rectà pergeret, o-  
 t fmitteret. Atque ita diuina prouidētia  
 Viri actum est, vt iumentum lata, faciliq;  
 in

via prætermiffa, fuū iter fequeretur  
 Ut omnes intelligant, quibus initi  
 quibusq; progressibus, Deus militem  
 fuum ad extrema perduceret. Nam  
 ait D Augustinus, animæ virtutis ca  
 paces ac fertiles præmittunt sæpè vi  
 tia, quibus hoc ipsum indicēt, cui vi  
 tuti sint potiffimum accommodata  
 fi fuerint præceptis excultæ. Vnde  
 Moyses interficiēs Aegyptium, adhu  
 incultus, vitiosa quidem, sed magna  
 fertilitatis figna fundebat.

*Lib. 22.  
 sent Fall.  
 670.*

*Exod 2.*

Cū igitur non longè à Monte  
 Serrato abeffet, in pagum quendam  
 peruenit, vbi eum veffitum emit, quod  
 Hierofolymam proficifcens geftra  
 decreuerat, talarem videlicet, ex can  
 bina tela afpera & aculeata, in modum  
 facci tunicam. pro militari balteo, fi  
 nem. calceos ex fparto contextos, bac  
 culum peregrinantis infigne, & ad  
 quæ vsum cucurbitulam. Quoniā ve  
 rō carnis fuæ imbecillitatem extime  
 fcens, fibi ipfe diffidebat (quam  
 & diuino vifo erectior, & Deo pla  
 cendi ftudio multo iam effet confu  
 matior) fpec fuas in beatiffimæ Virg  
 nis patrociniō defigens, caftitatis vo  
 to in hoc itinere fe fe obftinxit, eam  
 que perpetuā Christo, & caftiffimæ at  
 qu

que purissimæ eius Matri, feruens spiritu consecrauit: cuius beneficio eam proisus integram (vt paulò antè dictū est) semper obtinuit, tantum & deuotionis ardor, & piū ipsius Virginis patrociniū apud Deum valet.

IN SERRATO MONTE  
*vestitum mutat.*

CAPVT IIII.

**V**T venit in Serratum Montem (is locus Dei genitrici dicatus) tunc re vnus diei Barcinone distat, estque peregregio Benedictinæ familiæ cœnobio & religionis causa eò confluētium concursu maximè celebris) ibi optimo confessario totius vitæ suæ crimina per triduum ex scripto cōfessus est, illiq; homini omnium primo animi sui propositum aperuit; iumentum reliquit, gladium, pugionemque, quibus mundo meruerat, ante aram beatissimæ matris Dei appendi iussit. Prius die verò eius diei, qui hominibus, verbo Dei incarnato, salutis inirium attulit, anni 1522. noctis tenebris tectus, quàm occultissimè potuit, ad mendicum quendam, pannosumque hominem adit: suas vestes sibi detractas illi dono

dono

dono dat: ipse verò optato illo suo  
 fumento induitur, & ad sacram di-  
 nã matris aram consistit. Cùm autem  
 in prophanis libris legisset ritum, quod  
 noui milites olim inaugurabantur,  
 eius ritus imaginem quandam spiri-  
 tualiter in se repræsenteret, non  
 contra diabolum armis accinctus, pro-  
 sim stans, partim in genua procu-  
 bens, totam noctem illam coram  
 cratissimæ Dei genetricis imagine  
 insomnem duxit, se illi commẽdantem  
 sua flagitia deslens, meliora animi  
 concipiens, ac ne à quopiam agnos-  
 posset, mane ante lucem (non quidem  
 recto itinere, quod Barcinonẽ ducit  
 sed deflexo) in oppidum Minorissiam  
 quæ hodie Mantesa dicitur, & à Monte  
 Serrato nouem passuum millibus  
 distat, festinus diuertit, vili tegumẽto  
 ex tela (vt diximus) tectus, baculo ar-  
 matus, fune præcinctus, nudo capite  
 & pede altero. Nam alterum, quod ex  
 recẽti vulnere infirmum haberet ad-  
 huc, & crus fascijs conuolutum, singu-  
 lis noctibus intumesceret, calceò ad-  
 uersus cæli, solique iniuriam munien-  
 dum sibi existimauit. Vix à Monte Ser-  
 rato tria passuum millia processerat,  
 eum illum inusitato gaudio expletum,  
 & ne-

& noui habitus letitia gestientem homo quidam curriculo consecutus, percontari coepit, dedissetne dono vestes suas egeno cuidam, quem hoc ipsum affirmantem, Praetor in vincula coniecerat, furto ab eo sublatas arbitratus? His auditis, Ignatius vultum, vocemque mutauit, & lachrymas etiam profudit, illud apud se etiam atque etiam cogitans, ne potuisse quidem se sine damno alterius & iniuria benefacere. Ex quo periculo, ut immerentem hominem eriperet, vestes se dedisse confessus est: neque tamen quisnam, unde, cuias esset, interrogatus, aliud respondit: cum haec ad miseri hominis liberationem nihil pertinerent.

DE VITA AB EO  
*Manrese instituta.*

CAPVT V.

**M**Anresam ubi peruenit, in Xenodochio mendicorum hominum pedem primo fixit, ibi sese ad strenuè secum, & cum diabolo decertandum comparauit: nihilque prius habuit, quam ut genus suum, praeteritaque vitæ rationem occultaret, & omnib. igno-  
tus de-

tus delitesceret, Vestitus is erat, quem  
 supra diximus: sed quòd in capillo cu-  
 rando, comendoq; & reliquo corporis  
 exornando curiosior in seculo fuerat  
 vt nimium cultum diligenti neglecto  
 compensaret, cæsariem, quam pro illi-  
 us seculi more elegantem habebat, so-  
 lutam, & impexam reliquit: caput die  
 noctuque semper nudum habuit: un-  
 gues, & barbam ex crescere per incuriam  
 fuit: tertie præterea diebus singu-  
 lis acriter verberabat, septem horas in  
 oratione, fixis humi genibus pone-  
 bat: idque magno studio & ardenti  
 Missæ sacrificio, Vesperarumq; & Co-  
 pletonij precationibus intererat, et  
 eaque re magnam capiebat animo vo-  
 luptatem. Cogebat quotidie stipem, a-  
 qua & pane vitam tolerabat, carnibus  
 vinoque semper abstinens, omnibus  
 diebus, præterquam Dominico, ieiunans,  
 humi cubans, noctis maximam  
 partem vigilans, singulis diebus Domi-  
 nicis peccata sua confessione eluens  
 & sacræ Synaxis præsidio sese confir-  
 mans: tam impensè corpus suum in ser-  
 uitudinem rediges, vt quicquid oblecta-  
 tionem vllam corpori posset adferre,  
 studiosè refugeret. Quocirca cum esset  
 maximis viribus, & corporis firmitate  
 præstans,

præstās, breui vigor omnis eius emar-  
 cuit, & hac vitæ acerbitate nō medio-  
 critèr debilitatus est. His rebus fiebat,  
 vt hominum animos in se cōuerteret,  
 & alliceret, qui plurimi cum ad eum  
 venirent, in illiusq; se familiaritatem  
 insinuare cuperent, nō multo etiam ma-  
 gis eius sermonibus inflammabantur.  
 Nam etsi rerum adhuc erat spiritaliū  
 rudis, & parum in virtutum exercita-  
 tione versatus: ijs tamen erat faci-  
 bus diuini amoris incensus, vt facilè,  
 quod intus continebat, se foras effer-  
 ret. Itaq; eius ardens de diuinis rebus  
 sermo, ac vehemens ad virtutum co-  
 hortatio, cum sanctæ vitæ exēplo cō-  
 iuncta animos hominum & Deo conciliare,  
 & sibi ipsi beneuolentia deuincire,  
 atque etiam admiratione suspendere,  
 spiritu sancto iuuante, facilè poterat.  
 Cū eò præsertim accederet per-  
 uulgata iam eius nobilitatis opinio,  
 quæ rumoribus aucta, supra veritatem  
 etiam (vt mos est) multorum sermone  
 celebrabatur. Permanerat enim  
 rumore nuntio, quod in Serrato Monte  
 remotis arbitris, Ignatius fecerat, &  
 quāuis ipse lucernam sub modio ab-  
 scōderet, Dominus tamen eā super eā  
 delabrum ponebat, vt luceret omnib.

*Matth. 5.*

SCR V.

40 VITAE IGNATII  
SCRIPVLIS ANGITVR,  
& probatur à Deo.

CAPVT VI.

**I**N hanc palæstram noster miles ingressus, quatuor iam menses pugnando traxerat, calliditatem demonum quicum pugnam inierat, cogitationesque profus ignorans. Tenebatur enim eundem tenorem vitæ, & iniquabili conscientiaë tranquillitate persistabat. Nondum tentationum aculeo excruerat Satanas, nondum terrorum minasque suas tyroni Christi intortauerat: nōdum depulsis tenebris, rufus consolationis lumen redierat, nondum deniq; commutationes rerum & spiritualis hominis affecti & læti, incenit, & exultantis vicissitudines, conuersionesque perspexerat; cum illud die quodam, situ squaloreq; confectus & in Xenodochio versantem aggressus est: Et quid tu in his sordibus, inquit, in hoc pedōre iaces? quid vilibus vestibus, & obsoletis sordidatus incidis? & quid cum abiectis hominibus sedens, generis tui nobilitatem obscuras? Sed Ignatius cōfestim se medicum socium propiorē adiunxit, & familia



rius etiam versari inter eos cœpit, atq;  
hoc eius factō diabolus repulsus est.  
Alio item die, cū fessus valde esset,  
illam etiam cogitationem permole-  
stā passus est: Qui (inquit) fieri potest,  
vt duram hęc, & feram agrestium ho-  
minum vitam septuaginta annos, ad  
quos victurus es, perferas? cui ille: Nū-  
quid tu mihi vnus horæ spacium cer-  
tum præstabis? vitæ enim momenta  
non in tua, sed in Domini sunt pote-  
state & 70. anni laborum ac pœnitent-  
tiæ, quid sunt cū æternitate collati?  
Atque his duobus tantum telis apertè  
intentatis, per vniuersam vitam appe-  
titus eius animus est, vt à cœpto viuendi  
cursu pedem referret. Quòd cū eius  
omnis vita laborū, periculorum, mo-  
lestiarum, vexationū plenissima fue-  
rit, (vt ex ijs quæ fecit, passusque est,  
facile apparet) perspicuum est diuinæ  
erga Ignatium benignitatis argumen-  
tum, quā illum Dominus præuenit  
in benedictionibus dulcedinis. Il-  
lud tamen noui, ab hac tentatio-  
ne, eius animo accidit, quòd mag-  
nas interdum permutationes, con-  
trariosque quasi spirituum impulsus  
sentire cœpit. Nam oranti aliquando  
illi, & in pijs exercitationibus religio-  
sè

sè versanti, exarescebat repente non  
 nunquam animus, & in eas angustias  
 incidebat, ut se explicare vix posset:  
 ubiq; displiceret, & diuini spiritus iu-  
 tatem minimè sentiret. Rursus tam  
 tam copiosa diuinæ consolationis  
 affluebat, ut in eius luce, præcedentis  
 mœstitiæ caligine non appareret quid  
 Quod ille discrimen, varietatem  
 attendens, admirabundus, & rei non  
 tate percussus, Quid hoc, inquit, nisi  
 quam nos viam ingredimur: quod  
 litæ genus arripimus? Sed interim  
 scrupulorum stimulis pungi, & peccato-  
 rum suorum conscientia torqueri  
 coepit, ut lachrymans dies cum noctibus  
 iungeret, semper anxius, semper  
 sollicitus. Etsi enim quàm accuratim  
 mē omnia præteritæ vitæ crimina  
 rat confessus; illa tamen semper  
 extimulabatur, nū hoc confessus sum  
 num illud bene explicauimus: num satis  
 pertè quæ ad rem pertinebant adieci-  
 num aliquid vel affixi, vel omisi: quibus  
 quidem aculeis adeò vexabatur, nu-  
 nusquam acquiesceret, nullis orationibus,  
 vigilijs, ieiunijs, flagellis denique  
 leuaretur: sed mœrore prostratus,  
 quadam acerbissimi doloris carnifici-  
 na exanimatus, & confectus iacere

Ad sacratissimam Eucharistiam de more, quasi ad sacram anchoram confugiebat: sed cum ori iam admoueretur panis viuificus, scrupulorum vi, & subito quasi ventorum cōcurfu abreptus, surgebat, & lacrymis se gemitibusq; penitus dabat, & ad Dominiū clamabat, Domine vim patior, respō- *Isa. 38.*  
 de pro me: & infelix ego homo, quis *Rom. 7.*  
 me liberabit de corpore mortis huius? Occurrebat quidem vnum illi remedium, idq; presentissimū, si spiritalis pater, cui cōscientiam suam, & inter nos animi motus omnino aperiebat, tranquillo se, pacatoq; animo esse iuberet, & Domini nostri Iesu Christi nomine mandaret, ne exacte vite peccata amplius confiteretur. Sed tamen, ne à se profecta medicina sanitatem non faceret, sed dolorem augetet, spiritali hoc patri dicere non audebat. Cum igitur aliquandiu hanc mentis vexationem pertulisset, quodam die tam grauitate, dolenteq; ab ijs scrupulorum tormentis est habitus, vt omni solatio destitutus, se totum orationi traderet, & fidei feruore succensus, clara magnaue etiam voce clamaret: Infelix ego homo, quis me libe- *Rom. 7.*  
 rabit de corpore mortis huius? Domi- *Psal. 143.*  
 ne

ne vim patior, responde pro me. Sues lud  
currere Domine, subueni Domine: Et one  
mitte manum tuam de alto Domine: ut po  
misericordia mea, refugium meum in m  
liberator meus: Protector meus in te an q  
spero, quia nullam ab hominibus, nepte  
lam à creata vlla natura pacem aut rehil  
quem inuenio. Attende, & fac: illuiter  
mina faciem tuam super seruum tuum cui s  
um: ostende mihi viam, in qua ambulaba  
lem, quia Deus meus es tu. Quòd si velas in  
catulum præceptorem mihi, & periculis v  
turbatæ mentis pacificatorem dede illic  
ris, ego verò non recuso: libenter illius a  
lunam ducem, illum vitæ magistrum titatu  
auctore sequar. Inter hæc rursus vehemelle  
mētissima hominem cogitatio inuare he  
debat, vt ex cellula, vbi erat (nam eum  
hospitali pauperū domo in Domini mor  
canorum cœnobium emigrarat) secessisse  
præcipitem daret. Sed ille: Non faciant  
am, non te offendam Domine: quia tibi su  
es Deus meus, fortitudo mea: quare me de D  
repulisti, & quare tristis incedo, dum remi  
affligit me inimicus, dum dicitur mihi Deo  
quotidie, vbi est Deus tuus? In has vo xim  
ces erumpenti, & præ dolore gemen die  
ti venit in mentem cuiusdam san pug  
cti viri, qui, vt nescio quid à Deo im nebr  
petraret, tam diu cibo abstinuit, dond lus o  
illu

*Psal. 17.**Psal. 118.**Psal. 42.*

Suo iud consequeretur. Ad cuius imita-  
tionem, statuit non prius cibum ullū,  
nec potum capere ( nisi fortè mors illā  
eum mineret ) quàm optatam mentis  
in tranquillitatem inueniret. Quocirca  
septem integros dies ita ieiunus fuit,  
ut nihil vt omninò gustaret, cum tamen  
illinterea, vel de quotidiana precatione  
in tu cui septenas flexis genibus horas va-  
mburabat) vel de verberationib. quas ter-  
si velas in dies singulos vsurpabat, vel de  
periculis vsitatis instituti ipsius officijs, ni-  
de de illiccirco remitteret. Et cum se viti-  
teribus adhuc integris, minimeque debi-  
um titatum videret, & progredi longius  
vehementer prohibitus à Confessario est, ac  
inua vehementer deterritus, iussusque ci-  
um cibum capere, cum die Dominico suo  
minimè illi peccata sua, & quid etiam fe-  
) fecisset, indicasset. Paruit cōfessario ne-  
a facili absolutionem se daturum, ni ci-  
uia cibū sumeret, & hortanti vt peccata sua,  
de Dei benignitate cōfusus ab illo tibi  
dum remissa piè crederet, ne repugnare  
mih Deo velle videretur, eoq; se die, & pro-  
sximo liberum sensit: tertio verò post  
men die oppugnatus iterum est, sed op-  
san pugnationis is finis fuit, vt disiectis te-  
o im nebris, quas rebus clarissimis diabo-  
done lus obducere conabatur, & reddita di-  
illu

uina luce, quasi apertis oculis, è se  
 no excitatus, magna animi claritate  
 constantiaq; ante actæ vitæ memori-  
 am obliuione obruere, & obducta pe-  
 catorum vulnera amplius in confe-  
 sione non refricare decerneret: tan-  
 tamque mentis tranquillitatem, &  
 spirituum discretionem, atque ser-  
 pulosarum mentium curandarum gra-  
 tiam à Deo est cōsecutus, ut nemo se-  
 rē hac ægritudine affectus, sanitatem  
 ab Ignatio non inueniret. Neq; enim  
 sibi solū probabatur, sed nobis et-  
 iam erudiebatur Ignatius. Probat enim  
 Deus cum omnes milites suos, tum  
 os maximè, qui reliquorum duces fi-  
 turi sunt, humiles, & probatos conse-  
 latur, ut possint & ipsi consolari eos  
 qui in omni pressura sunt.

2. Cor. 2.

## POST TENTATIONE

*Illustratur.*

## CAPVT VII.

**C**VM igitur Dei misericordia  
 tentationum angustijs emer-  
 set, & tanq; iccirco de summa animi  
 contentione ad virtutum omnium  
 veram in se imaginem exprimenda

nihil omnino remitteret : placuit remuneratori bonorum omnium Deo, seruum suum diuinis consolationibus mulcere, & mentem illius cælestium mysteriorum cognitionibus illustrare, vt secundum multitudinem dolorum, quos in corde suo pertulerat, cōsolatio res Domini letificarent animā eius. Ergo quamuis iam inde à principio tractaret Deus Ignatiū (vt ipse dicere solitus est) præceptoris more tenerum pueri animū informantis: post prima tamen tentationum rudimenta plenius illum erudiuit. Ex quo cum magna erga tres sanctissimæ Trinitatis personas deuotione teneretur, singulisq; suas preces, stasq; quotidie persolueret, die quadam in scalarum gradibus templi Dominicanorū consistens & horarias B. Virgini preces recitans, cœpit ita in Deum intellectu ferri, quasi sanctissimam Trinitatem specie quadam visibili id significante exterius, quod interius percipiebat, cerneret, ea diuinæ consolationis magnitudine & copia, vt sibi à superioribus, fletuque etiam inter ipsas publicas supplicationes, quas deinde persequutus est, ad prandium vsque temperare nequiverit, aut verò à prandio

Psal. 93.

C

dio

dio aliud omnino vel cogitare, vel  
 qui, quā de sanctissima Trinitate, ta  
 ta, tamque varia rationum, similitu  
 num, atque exemplorum copia, ut a  
 mirationi omnibus audientibus esse  
 Quæ res ita in eius mente hoc inel  
 bile mysterium inscripsit, ac vel  
 impressit, ut illo ipso tempore, hoc  
 legendi scribendique tantum scie  
 de, eo librum scribere sit aggressus,  
 ad totam vitam inculptę illius veri  
 tis vestigia extarent. Semper enim  
 ad sanctissimam Trinitatem orat  
 nem funderet, (quod frequenter,  
 diu faciebat) eximiam diuinę con  
 lationis suauitatem percipiebat, &  
 quando quidem singularem quā  
 in Deum Patrem totius diuinitatis  
 tem, & reliquarum personarum or  
 nem, atque principium, deuotione  
 sensit: deinceps etiam in Filium  
 stemō in Spiritum Sanctum, singu  
 tim se singulis personis commend  
 & tradens. & simul ex omnibus,  
 ex vno atq; eodem gratiarum om  
 plenissimo fonte, virtutes omnes  
 undanter hauriens.

Alio item tempore, magna cū  
 tus alacritate modus eius menti  
 ctus est, quo mundum Deus cond  
 qu



quem longo post interuallo, cum hæc eadem ipse met pater narraret, se non satis affirmabat explicare posse.

In templo etiam eiusdem monasterij, cum rei diuinæ venerabūdis inter-  
esset, & corpus Domini adorandum populo proponeretur, mentis oculis quodā die clarè vidit augusto illo, atq; tremendo Sacramento Dominum Iesum Christum, verum Deum, atq; hominem verissimè contineri.

Sæpissimè orationi intentus, & diu quidem Christi Redemptoris nostri humanitatē interiore animi vidit obtutu, & aliquando beatissimam etiam Virginem Mariam: neque id Manresæ tantum, sed post etiam Hieroselymis, & non longè ab urbe Patauio, & aliàs sæpè. Quibus quidem visis, ita in fide ac spiritu confirmatus, & celesti lumine completus est, ut sæpè hæc secum reputans, illud etiam statueret, si aut sacrarum litterarum monumentis consignata mysteria fidei non essent, aut certè si sacra scriptura (quod fieri non potest) intercidisset, sibi tamen ita esse certa, penitusque infusa, ut ex illis tantum, quæ viderat, non dubitaret, & rectè ea intelligere, & alijs tradere, & pro illorū defensione

etiam mortem oppetere.

Egressus die quodam Manresa templum, quod ab oppido mille passibus abest, diuinarum rerum contemplatione suspensus, paululum comedit in via, quam fluuius præterlabitur, faciemque conuertit ad flumen: mentis ei oculi aperti, atque illustrati suat, non ita quidem, ut speciem quam, aut in sensus cadentem imaginem videret, sed ut permulta, tum ad fidei mysteria pertinent, tum ad scientiarum cognitionem, optime intelligeret; tanta, tamque clara luce, ut ab eo res ipsæ nouo quodam lumine cernerentur.

[Porro hæc mentis illustratio, adeo copiosa fuit, atque excellens, ut ipsemet Ignatius negaret, reliquas omnes illuminationes atque diuina adiumenta, quæ per totam vitam ad annum 62. ætatis suæ à Deo accepisset, in vnum coaceruata, cum vna posse conferri: sed quæ quidem aliàs, vel studio, vel labore, vel naturali lumine didicisset, minus quam quantum tunc quidem accepisset. Quæ res, cum fixum hominem, hereticeque diu tenuisset, ad crucem iuxta erat, genu flexo procubuit,

## LIBER I.

Deo Opt. Max. pro hoc tãto benefico  
 gratias agret. Antè verò quàm huius  
 modi visis illuminaretur, cùm in ho-  
 spitali domo adhuc ageret, & aliàs si-  
 quãter, sese illi clara luce pulchra que-  
 dam species obiecerat, quam non sa-  
 tis discernere poterat, aut quid esset,  
 ex quo esset, ex quove constaret, in-  
 ternoscere: nisi quod serpētis nõnullã  
 formã præ se ferre videbatur, multis  
 quasi oculis resplendens, cuius præsen-  
 tis quantũ aspectu recreari videbatur,  
 tantũdem ex discessu doloris, ac mœ-  
 stitiæ sentiebat. Hoc igitur visum læ-  
 pissimè ipsi ante oculos versatum,  
 nunquam tamen cognitum, illi se ad  
 crucem istam iacenti, rursus obiecit:  
 sed diuino iam lumine plenus, & ante  
 crucem procumbens, facile perspexit,  
 rem illam non ea esse pulchritudine,  
 atq; splendore, quo se illi antea offere-  
 bat, aperteq; cognouit illũ esse demo-  
 nem. Ex quo, longo etiã post tempore  
 sæpius illi apparuit, non in via tãtum-  
 modò, sed Lutetiæ etiam Parisiorum,  
 & Romæ, non iam luce coruscus, sed  
 aspectu deformis, & abiectus, ita vt  
 baculo, quem gestare manu solitus e-  
 rat, facile illum ab se abigeret.

Porro Manresæ cum adhuc versare-

tur, ijs, quas diximus, occupationibus  
 tam ardentem deditus, accidit ut die  
 quodam sabbathi, sub horam Completo-  
 rij, à sensibus sic destitueretur, &  
 à pijs quibusdam viris & mulieribus  
 repertus, pro mortuo haberetur  
 & nisi cordis tenuem palpitationem  
 quidam deprehendissent, sepultus  
 proculdubio mandauissent. Māsit  
 tem in hac extasi siue abstractione  
 sensibus, ad alterum vsque diem sab-  
 bathi sequentis hebdomadae: quo die  
 hora Completorij quasi è somno  
 citatus, multis, qui eum obseruabant  
 praesentibus, oculos aperuit, sacrati-  
 mum Iesu nomen ingeminans. At  
 huius quidem rei qui testes fuerunt  
 iidem illi auctores sunt, nam ipse Ignatius  
 hoc tam insigne Domini beneficium  
 mirificè occultauit, & (quod  
 ego quidem sciam) aperuit nemini.

Incredibilia cuiuspiam fortasse  
 videbuntur, & supra ordinem rationis  
 atque cursus, in eo potissimum  
 qui tyro & rudis omninò miles Christi  
 adhuc erat, qui vix nomen dederat  
 vix militari sacramento se obstrinxerat,  
 vix ab hostium castris ad Christi  
 domini nostri signa trās fugerat. Sed  
 haec magna pfecto, praecleara, admiranda  
 b

bilia Dei dona esse in confesso apud omnes sapientes est : ita incredibilia videri nō debent, nisi ijs fortè qui dona Spiritus sancti, & inestimabiles benignitatis diuinæ thesauros, ne per somnum quidem audiuerunt. Qui neque lumen cæli viderunt vnquam, neque diuinarum illustrationum participes facti sunt, qui nullam vnquam voluptatem liquidam & solidam animorum esse putant : sed omnes voluptates corporis sensu definiunt, easq; vnde quaque conquirunt & captant, & nouas semper veteribus addunt, turpissimas illas quidem, & honestati contrarias, & homine ipso indignas. Qui hac quidē in re audendi nō sunt. Animalis homo (inquit Apostolus) non percipit ea quæ Dei sunt, neque enim potest : cæcus enim de coloribus non iudicat. Alij sunt tamen viri eruditi, & monimētis Sanctorum versati, qui sciunt huiusmodi illustrationes Dei, extraordinarias quidem esse, sed conceditamen solitas nonnunquam ijs, qui eximio & præcipuo quodam iure à Deo eliguntur & tractantur. In quibus magna in primis cautio adhibenda est, ne fallamur. Aliqui enī sunt qui falsa persuasionē decepti, existimant,

De esse dona, quæ satanæ transfigu-  
 rantis se in Angelum lucis præstigi-  
 sunt. Alij quorum animus est mob-  
 lis, & facilis leuitate, vel occulta supe-  
 bia, cordis, vel atra bili, vel capitis in-  
 becillitate obscuratus, putant se ea  
 dere atque audire, quæ reuera neque  
 audiunt, neque vident. Quæ quam-  
 ita sint, tamen negare non possumus  
 in Dei Ecclesia veras esse atque di-  
 nas reuelationes, quibus amicos suos  
 & familiares, aliquando Deus benignè  
 suauiterque permulcet. Quod si in  
 lorum seruorum numero, cum quibus  
 Deus se ita communicat, & plenior  
 manutanta bona largitur, Ignatius  
 it, nemini sanè mirum videri debe-  
 Nam quanquam tyro, multum tamen  
 iam tunc virtute processerat, & erat  
 ipsomet, & erat ab ipsomet Deo ele-  
 ctus, vt innumerabilium filiorum pa-  
 ter, & sacrae huius militiæ antesigna-  
 nus & princeps esset, vt exercitum du-  
 ctaret, acies instrueret, & signa cum  
 mani generis hoste strenuè fortiter  
 que conferret. Quod absq; dubio præ-  
 stabilius est, maiusque Dei donum  
 quam rerum abditarum intelligentia  
 accipere. Certè quidem si attentè con-  
 sideremus, quis fuerit Ignati⁹, & qui

effecerit, facile intelligemus illum neque viribus naturæ, neque propriæ industriæ artibus rem tantam aggredi ac perficere potuisse; sed cælesti quodam ac peculiari Dei dono indiguisse, ut quod videm<sup>9</sup> opus efficeret. Nā qui fieri potest, ut homo militaris, illiterat<sup>9</sup>, vanitatis vile mancipium, delectū haberet, milites cōscriberet, Societatem egeret, Religionem hanc institueret, & breuissimo tempore per vniuersum terrarum orbem propagaret, ac summa prudentia regeret, & aduersariorum impetus propulsaret, tantosque fructus ad Dei gloriā, suis ex laboribus colligeret, nisi Deus ipse suo illum ornasset spiritu, prudentia instruxisset, virtute armasset? Quam Idæam, quodve exēplar habuit propositum, ex quo huius Societatis exemplum duceret? Quo in libro legit illius regulas, constitutiones, documenta? Vnde speciem formamque Societatis accepit? quæ quidem ut in ijs quæ religionē continent, vna eademque cum reliquis religionibus est, ita ab illis desincta atque distincta in multis, quæ nostris temporibus congruentia, & præfenti Ecclesiæ statui sunt necessaria. Accepit nimirum ab eo, qui hæc so-

lus dare potuit, qui ex lapidibus suscitavit filios Abrahæ, vocatque ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui ad subijciendam & prosternendam sæculi huius vanitatem, duodecim piscatores elegit, ut patefacta Euangelij luce tenebræ errorum, vitiorumque omnium ab animis hominum depulsæ, penitus evanescerent. Hac enim ratione, se rerum omnium Dominum verissimè ostendit, & ut rebus omnibus vim suam largitur atque naturam, ita nomini cuique atque pretium imponit, ut tanti quæque res sit, quâti eam Deus æstimat. Neque enim Deus, principibus huius sæculi est similis, qui ministros quidem eligunt, sed bonos ministros efficere non possunt: Ipse verò eligit ministros novi testamenti, & sua electione idoneos facit, & ad omnia quæ vult, habiles atque instructos. Quapropter cum effectus divinæ virtutis, & tam multas admirabiles videamus in Ignatio eaque apertæ, expositæ, oculisque omnium ita subiectæ sint, ut negari non possint (nisi ab eo qui neget solem meridie lucere) & maiora Ignatio dare cogamur: demus etiam illi hæc quæ minoris sunt, intelligamusque omnes illos perfectæ vitæ radios, ex



diōs, ex hac diuinarum illustrationum, luce, & quasi ex copiosissimo celestis gratiæ, fonte, tot riuulos profluxisse. Quas quidem illustrationes partim narrauimus, partim deinceps narraturi sumus.

DE EXERCITIORVM  
*spiritualium libro.*

CAPVT VIII.

**H**OC eodem tempore, Exercitiorum spiritualium librum (quem appellant) ex accurata eorum, quæ sibi conigerat, obseruatione conscripsit. Quorum exercitiorum usus, quantum adiumenti Christianæ Reip. in omnem partem attulerit, satis constat. Nam vt pauca ex multis de illorū usu, atque utilitate dicamus, primò illis ipsis Societatis nostræ institutionem acceptā ferre debemus. Omnes enim fermè primos illos patres, quos instituendæ Societatis adiutores, & socios habuit Ignatius, per exercitia ad perfectionis studium, mundiq; despicentiā excitauit Qui postea consecuta sunt, & in Societatem iam stabilitam ingressi, viri vel doctrinæ, vel ingenio, vel nobilitate, vel alijs naturæ fortunæq;

naeque ornamentis insignes, maximè  
 ex parte, exercitijs huiusmodi, ad hoc  
 vitæ genus complectendum, adducti  
 sunt. Neque verò tantùm hoc bene-  
 ficium Religionis nostræ solummodò  
 proprium est: sed etiam commune  
 cæteris. Meditandi enim huiusmodi  
 ratio, Cœnobia multa referit: multo-  
 tos religiosos viros labantes, in susce-  
 pto vitæ consilio confirmavit: soluta-  
 tos, vagosque vinculis disciplinæ seve-  
 rioris adstrinxit. Nō tamen Religionis  
 spatijs eorum fructus circumscribitur.  
 omne enim hominum genus, statum  
 officium, ætatem, vitæque rationem  
 comprehendunt. Nam & viri tum Ec-  
 clesiæ, tum sæculi principes, & infirmi-  
 homines; docti, indocti; mariti, cœli-  
 bes; iuvenes ætate, ac senes; Deo iam  
 dicati, & omnino liberis; in hanc exer-  
 citionum meditationem ingressi, mul-  
 tum vel in perditæ vitæ emendatione,  
 vel in bonæ incremento progressio-  
 nis fecerunt. Et quod dignum magis  
 admiratione est, multi viri eruditione  
 florentes, & sapientia omnium con-  
 sensione principes, post tot doctrinæ  
 suæ laudes, docendo ac disceptando  
 partas, discipuli Ignatii facti sūt: & ab  
 ea quæ inflat scientia, ad salutari sapien-  
 tiam

riam caelestemq; traducti. Nam quod  
in hac spiritali propriae cognitionis  
schola discimus, nō solum ad excolē-  
dū intellectū pertinet, sed ad inflam-  
mandam etiam voluntatem: itaque  
non tam cognitione, quā actione  
perficitur: ac finem habet, non ipsam  
scientiam, sed operationem. Ex quo,  
hac cognitio non subtiles, & argutos,  
atq; acres disputatores efficit; sed for-  
tes, efficaces, atque ardentes effecto-  
res: eosque vehementer permouet, at-  
que ad benè beateque viuendum im-  
pellit. Hæc enim caelestis est sapientia,  
quæ ædificat, vngit, inflamat: illa a-  
lia sæpenumero inflat, exsiccat, ho-  
minem vëtosum reddit, atq; inanem.  
Sed cum eorum vtilitas quā latissi-  
mè pateat, tum in ijs solet elucere po-  
tissimū, qui de vitæ genere deligen-  
do consultant, idque cōstituere ex di-  
uina voluntate cupiunt; ne (quod plē-  
risque contingit) certo aliquo cursu vi-  
uēdi implicentur, priusquā quid re-  
ctissimum sibi que maximè conduci-  
bile sit, iudicare potuerint. Neq; enim  
omnia omnibus conueniunt: neque i-  
dem vitæ gen<sup>o</sup> in omnes quadrat, sed  
alia alijs congruunt, atque apta sunt.  
magis. Quid autem cuique magis ex-  
pediat.

pediat, ille solus nouit, qui nos immortales in gloriam suam creauit, & sanguine suo, immortalis & sempiterna beatitudine dignos effecit. Quamobrem vitae generis cuique sincerè, cōsideratè, attentè eligendū est, magnisq; & assiduis precibus. Dominus est inuocandus, ut auctore illo ac duce, illud genus uiuendi quodque eligat, quod optimū sit cuique atque aptissimum. Nūc autem secus fit. Plerique enim mortales, vel libidine quadam obcæcati, vel utilitatis specie decepti, vel parētū, amicorūve exemplis inducti, vel alijs denique rationibus minus idoneis impulsī, ætate imbecillæ cum neque vis animi, neque consilium adhuc viget, præcipitanter ac temere sese proijciunt. genereque vitæ eo implicantur, cuius statim eos fera capitæ poenitentia erroris enim sui poenas, per totam vitam, incredibilibus quidem sed inutilibus lachrymis pendunt. Et merito quidem. Nam cum reliqua negotia diligentissimè inquirent, discutiant, & in utramque partem dispiciant, & conferant: summum sui ipsorum negotium, quod in vitæ genere eligendo positum, & negotiorū omnium est maximum, supinè atque oscitanter tractant, imprudenterque, & ut fors

aut

aut libido tulit, cursum quendam  
viuendi arripiunt, quem neq; tenere  
iucūde, neq; deserere honestè possūt.  
Quod certè non eueniret, si in genere  
vitæ eligendo, Dei voluntatem ante  
oculos propositam haberent, finem  
suum vltimum spectarent, eoque con-  
silia dirigerent, vnde omnis certa, re-  
ctaque pendet deliberatio. Denique si  
rerum naturam non peruerterent, sed  
sequerentur potius, sine, vt sine vtē-  
tes, medijs tanquam ijs quæ ad finem  
referuntur. Ad quod quidē Dei in pri-  
mis gratia nobis opus est, quam ora-  
tione, meditatione, solitudine etiam,  
& à reliquis negotijs vacatione facili-  
us consequemur. Animus enim liber,  
& ab alienis curis vacuus, vacabit sibi  
liberius, dabitque operam vt siquid  
insidet affectus, quod syncerum de  
rebus iudicium possit corrumpere, id  
totum rescindat, & amputet, præstet-  
que se dignum Deo, quo præeunte &  
prælucente menti nostræ, nihil erit  
non rectum, vtile nobis atque saluta-  
re, sine Deo autem omnia nostra cō-  
silia, cæca, præpostera, & peruersa sint,  
necesse est. Quæ cum ita sint, non ta-  
men iccirco defuerunt aduersarij, quā  
hanc rē tū ratione, tū perpetua experi-  
entia.

entia comprobata eleuare con-  
 sint. Sed in nihilum eorum conatus  
 ciderunt, simul atque Apostolica  
 des, post diligentem inuestigationem  
 exercitijs serio examinatis, aduersari  
 se se opposuit, & sua auctoritate con-  
 vsum non modò permisit, verum et  
 collaudauit, ac suasi. Quod ex literis  
 Apostolicis Pauli tertij Pontificis Ma-  
 ximi cōstat, quas anno 1548. scribi iu-  
 sit, quibus communitus Exercitiorum  
 liber, postea typis excusus, in lucem  
 dius est.

IN GRAVEM MORBVM IN-  
 cidit.

CAPVT IX.

**C**VM in ea vitæ ratione, quam su-  
 pra diximus, versaretur, accede-  
 bat illi sapissimè, vbi se noctu  
 quieti dederat, vt illustrationes perma-  
 gnæ, & spiritales consolationes mira-  
 ficæ quædam eius animo inmitteretur,  
 Quæ cum de exiguo, & somno desti-  
 nato tempore multum eriperent, &  
 noctes hominem cogerent ferè in som-  
 nes traducere, diligentius id animad-  
 uertens, dubitare apud se cœpit, quo  
 ex sōte caderent. Rebus omnibus prou-  
 dentes

denter discussis, statuit tandem reiectis illis, satius omnino esse, constitutum temp<sup>9</sup> somno tribuere. Ex magnis tamen laboribus, & perpetua animi contentione in morbum grauem incidit. Aegrotanti suppeditabat omnia perliberaliter Mantefæ magistratus, & matronæ honestissimæ officiosè ministrabant. Vsq; ad eò verò vis morbi inualuit, vt mors instare ipsi videretur. Paranti se ad mortē ea cogitatio subiit, se iustum esse; cui cum summa vi repugnare conaretur, peccata præteritæ vitæ in memoriam vsq; reuocans, & nihil tamen proficeret, cruciabatur miris modis, sic vt vim morbi intimis visceribus grassantem, leuè præ ea molestia duceret, quam ex conatu ad resistendum adhibito sentiebat. Cùm meliusculè paulò habuisset, & ab extremo illo vitæ periculo non nihil recessisse videretur, vociferari palàm cœpit, & nonnullos, qui officij gratia eò venerant, compellare, contestariq; vt eum se rursus in extremis laborantem cernerent, magnis vocibus clamarent: O miser peccator, ô infelix, etiam atque etiam cogita, quibus te sceleribus obstrinxeris, quibus vitij Dei in te iram prouocaueris. Vbi  
ali-

aliquantulum cōualuit, statim ad cōsuetas pœnitentias, & eandem vitæ asperitatem reddijt, in morbum q̄; de integro incidit, quod & tertio fecit, cō indefesso studio, & obfirmato animo seipsum peruincere, & labores viribus maiores repetere, perferre q̄; adniteretur. Sed tamen experientia doctus, & stomachi grauissimo eo q̄; frequenter dolore exagitatus, & rigidi cæli huiusmodi asperitate commotus, piorū hominum consilijs obtemperare coactus est, & ex panno admodum crasso, coloris cæsi exiguas duas vestes, & qualis semipileum eiusdem panni, ad se conlegendum, accipere.

## NAVIGAT HIEROSOLY.

m. m. m.

## CAPVT. X.

**A**Nnum vnum pius minus Manresa se trālegit, in ea quam diximus vitæ asperitate, quo elapso tempus interrim appetebat, quo profectioem Hierosolymitanā aggredi statuerat. Ergo Barcinonem versus Manresa discessit, & quidem solus; sic enim peregrinari decreuerat. Quāuis enim esset qui se illi vltro comites offerrent, qui



que illum hortarentur, ac vrgerent vehementius, vñ aliquem vel Latinè, vel Italicè scientem, quasi viæ ducem, ac sermonis interpretè, sibi adscisceret: nullū tamē admisit, ea maximè ratione adductus, quòd spes omnes suas in Deo positas habere cuperet. Quòd si viæ sociū secum haberet, vercbatur ne præstans illa in Deum fiducia, in socium deriuata, minueretur. Neq; verò sociorum auxilium excludebat tantum, sed etiam sollicitam viatici omnis curam: nequid esse videretur, quòd spem suam infringeret, & animum ad cælestia properantem in suo cursu redderet tardiozem. Erat Barcinone myoparo, erat & nauis oneraria in Italiã parata; voluit igitur in myoparonē conscendere, quia breuiorem fore traiectum sperabat: sed quo minus id faceret, hæc causa fuit: Primaria quædã atq; honestissima matrona Isabella Rossella, in templo quodã eruditum virum de superiore loco ad populum verba facientem, attentè aliquãdo audiebat. Quæ oculos in reliquam concionem fortè intendens, Ignatiū in ipsis altaris gradibus cum pueris confidentem aspexit: eum quæ rei nouitate, & hominis aspectu commota attentius

coepit

cœpit intueri. Vidit enim (sicut ipse  
 met Romæ mihi narrauit) caput Ignatij  
 circumquaque fulgere, & clarissimos  
 quasi radios emittere, seque intus  
 rursus admoneri, ac veluti stimulis quibusdam  
 vrgeri vehementius hominum, ut accerseret,  
 atque alloqueretur. Discessit simulauit  
 tunc quidem Isabella, pro loco & tempore,  
 sed concione expectata, simul atque do-  
 num redijt, viro sicut æquè atque ipsa  
 nobili, sed cæco, rem quæ sibi in templo  
 euénisset totâ narrauit, rogauitque  
 maritum, ut hominem è vestigio conquiri  
 iuberet, & ad se adduci. Adductus Ignatius  
 apud illos prorsus est remota mēsa, de  
 Deo de virtutibus, de beata vita sermonem  
 instituit; omnesque qui adstabant mirabiliter  
 ad pietatem inflammauit. Et Ignatio tunc  
 rescitum est, ipsum commodam in Italiam  
 nauigandi tempestatem præstolari. Quò etiam  
 Episcopus, sanguine cum nobilissimo illo viro  
 coniunctus, nauigabat. Itaque sanctitatis  
 Ignatij admiratione capti, ipsi rogant, cum  
 Episcopo uti nauem cõscendat, myoparonem  
 relinquat, in quem libellos etiam coniecerat.  
 Quòd ita factum est. Porò, in ipso Barcinonensis  
 conspectu, myoparo naufragio perijt.

rii, fluctibusque haustus est. A nauis  
autem nauarcho, ea lege admittus est,  
si panis nautici, quantum sibi ad victum  
ea in nauigatione opus esset, in nauim  
inferret: aliter admitti posse negabat.  
Coepit igitur de pane illo quaerendo I-  
gnatius agere sed cum hoc eius pro-  
posito repugnare videretur, simul gra-  
uiter angere cepit, & se cum: Haecine est  
illa tam stabilis, tam secura fiducia, ni-  
hil à Deo tibi defuturum? num quid il-  
le panem non poterit dare, & parare  
mesam peregrino suo? Ex quibus spi-  
nosissimis cogitationibus cum exire ipse  
per se non posset, ad confessarium, vt  
in eiusmodi solebat rebus, causas de-  
fert in vtranque partem dubitandi: quā-  
to, quam incenso perfectionis ardeat  
desiderio, exponit, idque pro viribus,  
quod Deo gratissimum sit, amplecten-  
di: illi deinde rem totam permittit, e-  
iusque iudicium secutus, panes in nauim  
imposuit. Sed cum pauculi oboli ex  
ijs, quos ostiatim emendicarat, ipsi nau-  
im ascensuro superessent, illos in pu-  
blico iuxta nauium stationem reliquit,  
ne quid amplius viatici, quam quod  
necessarium omnino videbatur, secum  
ferret. Tantum in eo inerat perfectio-  
nis studium, & tam incensus pauper-  
tatis

tatis amor. Hoc tempore inanis gloria aculeis plurimū exanimabatur, sic ut neque patriam neque genus suum reterege auderet, multo verò minus, quò iter suum dirigeret, ne fortè bona hominū de se opinione intumesceret. Sed redeo ad navigationem in Italiam, qua navigatione, magna foedaque tempestate iactatus, quinque dierum spatio Barcinone Caietam applicuit. Grauis ille, & pestilens annus Italiae fuit. Sauebat enim multis locis pestilentia: quapropter summa cautio adhibebatur à custodibus oppidorū, ne quis aduena admitteretur. Ex quo Romam proficiscens, multa in itinere passus est grauia & permolesta. Nam oppidorum ingressu sepe arcebat; & ita erat fame, macieque debilitatus, ut subsisteret aliquando, & longius progredi præ corporis imbecillitate non posset. Romam tamen ad diem Dominicum Palmarum anni 1523. venit, sacra urbis loca piè obiuit: benedictionemque summi Pontificis Adriani sexti reuerenter accepit. Cùm autem plurimi illū à profectionis Hierosolymitanæ cōsilio deterretent; fierique posse negarent, ut absque pecunia eò perueniret,

niret, neq; tamē infra ctū eius animū,  
& in Deo defixū, longa periculorum  
enumeratione à sententia dimouere  
potuissent, sex septemve aureis coro-  
natis octauo pōst Dominicæ resurre-  
ctionis die ab eūrem donauerūt, quos  
Ignatius, eorum quæ audierat metu  
victus, accepit, vt nautis soluendo ef-  
set. Sed paulò pōst, cum à diffidentia,  
& humano timore id profectum, a-  
gnosceret, & conscientia morderetur,  
non quasi culpa esset pecuniam acci-  
pere, sed quasi desiderio id suo repu-  
gnaret, & de proposito, perfectissi-  
mā paupertatem omnibus in rebus  
sequendi, remittere aliquid videretur,  
se inculpans & damnans, & de proijci-  
enda pecunia secum ipse cogitans,  
decreuit tandem in obuios pauperes  
& mendicos, illam conferte, quod  
quidem cumulatè perfecit. In hoc iti-  
nere, quod Roma Venetias habuit,  
multa aspera & acciaba pertulit. Pro-  
pter grassantis enim pestis metum,  
vel in porticibus excubare, vel per-  
noctare sub dio cogebatur. Et viatores  
exanguem illum, ac luridum intuiti,  
summaq; macie cōfectū, se in fugā a-  
liquando dabāt. Alij verò, qui se in via  
illi socios adūxerāt, lentius præ vitū  
tenui-

tenuitate ambulante sub nocte  
 deseruerunt. Sed qui dixit, Non te de-  
 seram, neque derelinquam, ille dese-  
 tum inuisit Ignatium, abiectum susce-  
 pit, & complexus est. Namq; obtulit  
 illi nocte, postquam relictus est, pro-  
 xima, Christus in latissimo quodam  
 campo, à Fossa Clodia pergenti Pat-  
 uium: plurimumq; aspectu suo recre-  
 uit eius animum: & ad grauiora pe-  
 ferenda roborauit, & ita eius iter diri-  
 xit, vt Patauinæ vibis custodiae ingre-  
 dientem egredientemve illum nihil  
 omnino remorarentur, aut interpe-  
 larent, & aditum Venetias perfacile  
 haberet. Publicis quippe exploratoribus  
 omnia excutientibus, intractus ipse  
 solus pratermissus est: cum tamen  
 desertores illi socij laboris multum sub-  
 ierint, vt liberum in eam vibem in-  
 gressum inuenirent. Legatum Caro-  
 li V. Imperatoris, ac Hispaniarum Re-  
 gis conuenire numquam voluit. De  
 pecunia, qua Hierosolymam nauiga-  
 ret, minime laborabat, certissima spe  
 aux, Deum expeditam sibi nauiga-  
 tionem daturum, vt sanctorum loco-  
 rum conspectu aliquando frueretur.  
 Atque cum multi multa contra adfer-  
 rent, & peregrinorum bona pars, rece-  
 cent

centi miserabiliq; Rhodi expugnatione exterrita, retrocessisset, eius tamen sensib. insitū erat, etiam si vnā tantū nauicula eō cursū dirigeret, se illo anno Hierosolymam peruenturum. Venetijs diū moraretur, vetere suo instituto sūpem cogēbat: in platea Diui Marci noctes agebat. Sed ex Senatorio ordine quidā noctu domi suæ cum esset, excitari se repentē huiusmodi vocibus sensit: Tūc, inquit, vt mollibus vestitus domi tuæ sis, seruus meus seminudus in porticu iaceat? tu in lecto pretioso molliter dormias, ille dura cubet humo? quib. stimulis concitatus Senator, surgit confestim, foras proruit, per incerta vagatur, humi cubantē offendit Ignatium, domū ea nocte perducit, & liberaliter tractat. Deinde ne in honore haberetur, ab eo Ignati<sup>o</sup> discessit, & ad hominem Hispanum, eius rogatu, diuertit. Ducem Venetiarum Andream Gritū Hispanicē allocutus, faciliē impetrauit, vt in Prætoriana nauī, qua eius insulæ Præfectus transmittēbat, in Cyprum vsque gratuitō transportaretur. Prætoriana porrō nauis idoneam nauigandi tempestatē expectabat, cū altera, qua peregrini vehēbantur, è portu

D

prius

prius soluisset. Operientem nauim,  
 conscendere parantem, grauiissima  
 bitò febris illum corripuit: & cū di  
 aliquat afflixisset, tandem discessit  
 illud incōmode cecidit, vt soluendi  
 pus in eum diem incurreret, quo p  
 macum à medico præscriptū sum  
 rat, qui eo quidem die citra magnū  
 vitæ discrimen Ignatium nauim p  
 se ascendere negabat. Sed ille fa  
 entioris, diuiniq̃ medici cōsilio  
 ctus, eo ipso die, hausto conscendit.  
 Atque ita accidit, vt cū multum ma  
 iactatione euomuisset, magnam is  
 es principio morbi leuationē, de  
 etiam sanitatem integram adferre  
 Cū autem quorūdam flagitia gra  
 ter ferret, & magna spiritus & orat  
 nis libertate acrius insectaretur: ne  
 ab alijs vectoribus aliquod ei exitu  
 timentibus, reprimi vllō modo p  
 set: consilium ceperunt nauæ, vt  
 lum in insula quadam deserta, & va  
 exponerent. Sed cum nauis ad de  
 natum locum penè esset appulsa, su  
 to vehementique vento repulsi, pe  
 trare mediatum facinus nequiu  
 Itaque breui Cyprum attigit: na  
 que peregrinorum nauim, in eam  
 scendit: nihilo plus viatici secum in

rēs,  
 sim  
 sepe  
 sel  
 laci  
 pou  
 pta

HII

I

scri  
 hui  
 me  
 lun  
 lop  
 rō  
 sta  
 ex  
 tio  
 fac  
 tur  
 cō  
 Hi  
 nit  
 ut

10



rēs, quàm in priorem intulerat, veris-  
simam nimirum spem in Deum : qui  
sepè Ignatio toto navigationis tēpore  
sele ostendit, illumq; incredibili cōso-  
latione permulsit, ac sustentauit, & in  
portum à se toties tam vehementer o-  
ptatum tandem inuexit.

*HIEROSOLYMIS LOCA SANCTA  
perlustrat.*

CAPVT XI.

**D**ecimaquarta die mēsis Iulij, an-  
ni Domini 1523 (sicut in cōmē-  
tariolo quodā eius, ipsi<sup>9</sup> manu  
scripto, inuenio) Venetijs soluit. Quod  
huius mensis reliquum erat, & totum  
mensem Augusti in navigatione con-  
sumpsit. Itaque pridie Kal. Septemb.  
Ioppem nauis appulsa est. Quarto ve-  
rò die Septembris sub meridiem in sã  
ctam ciuitatem ingressus est. Nam vel  
ex hac tam diligenti dierum obserua-  
tione, & curiola annotatione tēporis  
facilè conijci potest, quanta Ignatij iã-  
tium esset in Deum pietas, quanta in  
cōsilijs factisque omnibus meditatio.  
Hierosolymã igitur cum primùm ve-  
nit, admirabilem in ipso sanctæ ci-  
uitatis aspectu consolationem per-  
cepit,

cepit, quam constantem, quandiu  
 ea vrbe fuit, perpetuamq; semper  
 buit. Deliberatum erat Ignatio Hiero-  
 solymis remanere, & sacris locis, &  
 ex impressis Christi Domini nostris  
 stigijs, miram redolent pietatem,  
 religiosè colendis visendisq; reliquijs  
 tate traducere, proximorūq; salutis  
 sua virili deseruire. Cuius propositi-  
 teram de mansione partem (nam al-  
 ram de salute animarum curanda,  
 li hominum aperiēbat) Diui Franco-  
 Hierosolymitani Cœnobij præfe-  
 indicauit, & in eam rē cōmendauit  
 litteras, quas adferēbat, reddidit: ac  
 ipsis inopia fortè laborantibus, om-  
 esset, nihil se aliud velle dixit, quam  
 suorum peccatorum confessionem  
 dirent. A quo bene sperare iussus  
 re tamen in aduentū Ministri pro-  
 cialis reiecta. Qui cū paulò post red-  
 set, hortatus est Ignatium, in Italia  
 vt reuerteretur, ne pio quidem,  
 præcipiti consilio deceptus, in ea  
 tis vel seruitutis pericula incideret  
 in quæ permulti alij, simili pietatis  
 specie adducti, incurrisserent. Sed  
 Ignatij animus periculorum mag-  
 tudine ab incepto deterreri non  
 posset, seque (nisi conscientia fo-

aut religione aliqua impediretur) in sententia permansurū omnino præferret. Provincialis minister ab Apostolica sede potestatem se habere dixit, amandandi aut retinēdi, quos amandādos aut retinendos existimaret: sacris præterea interdicens eis, qui sibi nō obtemperarēt. Discederet proinde bono ac libenti animo, quandoquidem facillē poterat in animum inducere, Dei hanc esse volūtatē, quam ipse loci, rerumq; naturæ gnarus, amicē, fraterneque declarabat, ne tradita sibi potestate contra volūtatē suam vti cogeretur. Quibus verbis fidem habuit, consiliumq; Dei, aliō ipsum vocātis, secutus, se dicto audientem fore dixit. Cū de reditu cogitaret, magno renisendi montem Oliueti desiderio incens<sup>9</sup> (in cuius lapide quodam Christi Saluatoris nostri ascendentis in cælum, pedum vestigia cernuntur impressa) lanculum se a socijs subduxit, solusque nullo duce, nullo comite, nullo Turca custode (quæ res periculosissima est) in montem aduolauit. Et cū ei aliud nihil suppeteret, gladiolū scriptorium, vt admitteretur, custodi pro mercede dedit: atq; eximia lætitia peresus, in Bethphage prope-

ravit: sed statim in Oliueti montem  
recurrat, ut qua in parte pedis dextra  
vestigium, qua sinistra esset diligenter  
animaduerneret, forficesque ex theca  
detrahas, ut rursus admitteretur, cui  
stodi dedit. Sed redeuntem gaudiosius  
maximè exultantem Christianus quidam  
à Franciscanis ad eum perquirens  
dum missus, Ignatium inuasit, multa mi-  
nitans, ac truci vultu frendens, quòd  
se in tantum discrimen obiecisset, bra-  
chioque apprehenso ad Cœnobium  
vsque pertraxit. Ipse verò facile duci se  
passus est, magnamque in eo itinere  
atque singularem à Domino consolati-  
onem accepit, cum ita correptus bra-  
chio, & impulsus, Christum, semper  
supra se astantem, atque incedentem, &  
in Cœnobium vsque sibi veluti præse-  
untem aspiceret.

REVERTITUR IN HISPANIA.

CAPVT XII.

**P**osteaquam intellexit, diuinam non  
esse voluntatem, ut Hierosolymis  
remaneret, ad reditum se accinxit,  
quo in reditu nonnulla illi memorata  
digna acciderunt. Erat hiems maxi-  
ma, rigidum, ac niuosum cælum, neque  
ille

ille vestimenti plus habebat, quàm femoralia ex crassa quadam tela ad genua vsq; demissa, & thoracem ex nigra tela multis à tergo locis incisum, per exiguā vestē, eamq; attritā & vilē. In insula Cypri tres naues reperit, quarum prima Turcarum erat, altera locupletis potentisq; hominis Veneti ingens ac valida, & aduersus maris, vento umq; impetus satis, vt videbatur, armata atq; instructa: in quā, vt Ignatium admitteret, cum peregrini rogarent nauarchum, hominemq; collaudarent: Si sãctus est, inquit ille, naui nõ indiget, super vndas feratur. Itaque in tertiam conscēdit, paruum, & iuncturis malè coagmentatā. Eodē die, secundo vento tres simul è portu soluerunt: sed exorta grauissima tempestate, nauis ea, quæ Turcas vehebat, vnā cum vectoribus perijt. Veneta scopulo illisa, naufragium, saluis hominibus, fecit. Exigua illa & minimè stabilis, in qua Ignatius erat, ægre quidem, sed tamen portum quendam Apuliæ tenuit. Inde Venetias salua peruenit, duobus, & eò amplius mensibus in ea navigatione consumptis. In ea vrbe non nihil recreatur. Quindecim sexdecimve nummos argēteos hospiti-

tis cuiusdam sui liberalitate, & ad fo-  
 uendum stomachum frigoris vi debili-  
 tatum, p̄ni aliquantulum accipit: in-  
 de Hispaniam versus discedit. Ferraria  
 dum orat in templo, ab illo (vt fit) et-  
 iam mendicus quidam elcēmosynam  
 petit: Ignatius benignè dat: eius qui  
 acceperat admonitu, reliqui egeni qui  
 pro templi foribus astabant, certatim  
 ad Ignatium confluunt: quibus ille  
 quotquot habuit nummos, ad vnum  
 elargitur: atque è templo exiens (men-  
 dicis omnibus magnis illū vocib san-  
 ctum inclamantibus) mendicare ipse  
 è vestigio incipit panē, quo eo ipso die  
 vesceretur. Ferraria Genuam profectus  
 est: sed cum bello atroci inter Hispani-  
 arum Galliarumque Reges Gallia  
 Cisalpina omnis arderet, admonitus  
 est, vt de via deflecteret, ne à militi-  
 bus exceptus pœnas acerbissimas da-  
 ret, quas multi antea dederant. Ipse  
 verò qui Dominum habebat ducem,  
 firma in eum fiducia septus, ire per-  
 rexit. Aliquantulum progressus, in mi-  
 litum Hispanorum potestatem venit.  
 Qui exploratorem ex habitu & spe-  
 cie rati, primo quidem verbis hominē  
 mulcent: deinde diligenter excutiunt,  
 omnesque partes corporis petulan-  
 tius

tius etiam perscrutantur. Cum eorum  
 nihil, quæ suspicabantur, inuenissent,  
 veste spoliatum ad Præfectum addu-  
 cunt. Atq; ante id tempus quidem, ut  
 rusticanus & agrestis haberetur, om-  
 nes quos alloquebatur viros etiã prin-  
 cipes inurbanè erat solitus, & contra  
 comunè aliorum morem compellere.  
 Sed dū ducitur ad Præfectum, noua  
 quadã formidine correptus, dubitare  
 cœpit, nū expediret suam illam cō-  
 suetudinem intermittere, & alium lo-  
 quēdi urbaniorē modum, & commu-  
 ni vsui propiorem vsurpare, ac Ducē  
 illum alloqui, quàm alios solebat, ho-  
 norificentius; ne illè fortè contemptū  
 se putans, acerba in ipsum supplicia  
 constitueret. Hanc tamen cogitatio-  
 nem ab humano metu profectā intel-  
 ligens, ita repulit, ut eam ipsam ob cau-  
 sam, nullū planè honorem Duci habe-  
 re decerneret: quod & fecit. Namq; ex  
 illo Dux, cuias sit, quærir? ille verò ta-  
 cet: unde veniat? silet: nomen sciscita-  
 tur: nihil respondet: deniq; ad interro-  
 gationes varias multiplicēsq; fixis in  
 terrā oculis, animo in cœlū, tacitus per-  
 seuerat, ad vnā illam, Est ne explora-  
 tor? tantū inquit, Nō sum: ne iustā in-  
 iuriæ causam dedisse videretur. Tunc

D. S.

Dux.

80 VITAE IGNATII

Dux ita percitus, milites grauiſſimi  
 verbis corripere, ſtultitiam accuſare,  
 quod inſanum hominem ad ſe addu-  
 xiſſent, & ſimul præcipere, vt eum a-  
 moueant, & abire permittant. Hic mi-  
 lites Ducis increpatione irritati, pu-  
 gnis hominē & calcib. tūdūr, varijs  
 cōtumelijs indignū in modū afficiunt.  
 Narrabat ipſemet poſteā mirabilem  
 quandā ſe id tēporis conſolationē ac-  
 cepiſſe, cū eius ignominie veniret in  
 mentē, qua Chriſtus Redēptor noſter  
 ab Herode, & ab eius militib. affectus  
 eſt. Poſt hāc deriſionē, & per ora homi-  
 nū traductionē, non deſuit militi ſuo  
 Deus. Nā Hiſpan<sup>o</sup> quidā cōmuni humi-  
 litate duct<sup>o</sup>, ieiunū adhuc fatigatū q̄  
 gnatiū, ac peſſimē acceptū reſecit. Qui  
 poſt ieiunū iter ſuū proſequens, à Gallis  
 ſpeculatorib. ex turri ex ereubias agē-  
 tibus, captus iterū eſt, ad Ducēque per-  
 ductus: à quo per humaniter acceptus,  
 ac dimiſſus eſt: Genuāq; peruenit. & in-  
 de opera Roderici Portundi, hominis  
 Cantabri, Hiſpanicarū triremiū præ-  
 fecti, ſibi quondam in Catholici regis  
 Ferdinandi curia noti, in nauim aſcē-  
 dit; & Barcinonem, non abſque peri-  
 culo, re nauigauit,

STVDIA



STVDIA LITTERARVM  
aggreditur.

## CAPVT XIII.

**I**N Hispaniam eo consilio redijt, vt operā studijs litterarū daret, ad eāque rē Barcinonē, cōmodam sedē sibi & maximē opportunam delegerat. Nā sacris Hierosolymę locis exclusus, sese in omnes partes versate cepit, & quid ageret, potissimū quærere, quod Deo esset quā gratissimum. Cū omnia secum diligētius reputasset, denique statuit, quo proximis eius opera vtilior esset, ad spiritus diuini vnctionem, litterarū quoq; cognitionē adiungere. Quamobrē cū femina quadā primaria, & de ipso optimē merita, & cū ludimagistro quodam, nomine Ardebalo, viro probo, & ad omnē pietatem propēso, suū hoc consiliū communicauit, quo vtrique probato, altera sumptus, operā suā alter, & industria est pollicitus. Cœpit igitur anno nostræ salutis 1524. grandis iam natus (annum enim agebat 33) studia non cœtati, sed spiritui suo conuenientia exercere, primaque Grammatices rudimenta deuorare. Sed cū neque exilium,

lium,

liū, spinosarumq; rerū subtilitas, neq; inusitati studij labor vlla eius animū molestia afficeret: perturbabat tamen illustrationū, quas inter ea ipsa studia percipiebat, tum magnitudo, tum crebritas. Nā cū nominum, & verborū memoriæ mandare inflexione vellet, tanto splendore animus illustrabatur ad res diuinas intelligēdas, vt noue discere nihil posset: & si quid antea esset memoriæ traditum, id totum facile efflueret. Neque omni studio, animique contentione poterat aut arceri appropinquantēs, aut ingressas huiusmodi cogitationes abigere. Cuius rei nouitate perculsus, Quid hoc, inquit, rei? cū oramus, cū confitemur, & supersubstantialem panem accipimus, cū vigilamus, cū nos uerbis cedimus, cū spiritalia omnia ac diuina munera obimus, neque tam frequentes, neque tam magnæ, neque tam uehementes se nobis illustrationes offerunt: cū puerilia agimus, & de Deo propter Deum non cogitamus, tum speciosæ nostrę menti imagines, & cęlestes illustrationes occurrunt. Agnosco, agnosco, importunissimi hostis calliditatem: agnosco veteratoris dolos, & astutiam. Cuius conatibus v

OCCUR-

occurreret, & cōsiliū diaboli se à studijs malitiosè auocantis eluderet, preceptorem suum, in templum, cui sanctæ Mariæ à mari cognomen est, vt veniat, rogat. Illi dæmonis tentamenta narrat: suam in duos proximos annos assiduitatem pollicetur, se à lectionib. non absūturum (panis modo sibi & aqua ad victum suppetat) fidem suā obstringit. Et simul sese ad pedes abijcit, ab eo etiam atq; etiam petit, vt se pro puero habeat, verberibus grauiser accipiat, sicubi minus attentum, aut diligentem esse deprehenderit: Atque hac tam vehementi eius animi contentione, diaboli fraus repulsa est, & pax tum illi diuinitus reddita. In hac studiorū palæstra versanti, pij quidam, ac docti viri consiliū dederūt, vt Erasmi Rotterodami, qui eo tempore bonus Latinitatis auctor habebatur, libellum de milite Christiano legeret, vt sermonis scilicet elegantiam cum pietate coniungeret. Cuius consilij Confessarius etiā ad reliquos auctor accessit. Quod cū Ignatius simpliciter fecisset, obseruauit illius libelli lectione refrigescere in se spiritum Dei, & deuotionis sensim ardorem restringui. Qua re animaduersa, librum de manibus omnino

abiecit, & ita est auersatus, vt nec ipse  
 amplius legerit illius auctoris libros,  
 & passim in Societate nostra legi ve-  
 tuerit. Thomæ de Kempis de imita-  
 tione Christi libello plurimum tū yte-  
 batur, illiusq; lectionem valde semper  
 probauit. atque ita illius libri spiritum  
 & doctrinam hausit, tā auide arripuit,  
 tā perfectè in se expressit, vt (vt multo-  
 rum iudicio) Ignatij vita solida quæ-  
 dam, eminens, ac viua esset imago, eo-  
 rum præceptorum omniū, quæ aureo  
 illo libello continentur. Barcinonem  
 postquā reuertit, valentiori stomacho  
 fuit, quàm Manresæ fuerat: quo circa  
 aciores pœnitentias, propter stoma-  
 chi imbecillitatē, ac itineris difficul-  
 tates intermissas, repetere statuit: cœpit  
 que calceorū soleas perforare, & pau-  
 latim magis magisque discindere, sic, vt  
 incūte hyeme dissolutis iam ac fractis  
 soleis, plantis omninò nudis, pedibus  
 supernè tantum tectis, ad vitandam  
 ostentationem, incederet. Barcinone  
 duos annos operam Ardebalo dilige-  
 ter dedit; tantumque in Latinæ linguę  
 cognitione profecerat, vt præceptor  
 aptus iam ad grauiora studia videre-  
 tur. Cuius iudicio cum alij nonnulli  
 eruditi viri assentirentur, illumque o-

mnes

mnes ad philosophiæ studium capes-  
sendum hortarentur: ipse tamen, qui  
ad reliquas disciplinas optima iacere  
Latinitatis fundamenta cupiebat, nõ  
prius illorum consilio paruit, quàm  
Doctor quidam, præstansque Theo-  
logus, cognito quantum in litteris  
profecisset, cæterorum sententiam  
probauit, & vt commodius philoso-  
phiæ studijs vacaret, ad Compluten-  
sem Academiam vt proficisceretur,  
suasit, quod & fecit anno Domini  
1526.

COMPLVTI IN CARCEREM  
*conicitur & absoluitur.*

CAPVT XIV.

**C**omplutum ingrediēti Martinus  
Olaius puer occurrit, eleemosy-  
namq; primus omnium est im-  
partitus, is qui lōgo post tempore, eta-  
te iam confirmata, excellēti doctrina,  
magnaq; auctoritate præstans, Socie-  
tatem nostrā est ingressus. In eo oppi-  
do ad hospitalē pauperū domū diuer-  
tit, ostiatim ex more panem in victum  
mendicat. Id dum aliquando facit, à  
sacerdote quodam irridetur: ab alijs  
etiam ociosis hominibus præteriēs cō-  
sume-

tumelijs afficitur. Sed noui Altozana  
 nos doctus moderator id grauitate fe-  
 rens, Ignatium ad se vocatū, in nos-  
 dochium suum perduxit. Ibi cōmodo  
 re loco habitus animum cū ad logi-  
 ces, ac philosophiæ studiū contulit, tū  
 verò ad pietatem religiosè colendam,  
 & proximorum salutem studiosè pro-  
 curandam. Nā & egenos, fameq; pres-  
 sos, conquisitis vndiq; eleēmosynis  
 alere, & exercitationibus spiritalibus  
 ad pietatē informare multos, & Chri-  
 stianæ doctriinæ rudimenta populo ru-  
 di explicare aggressus est tanto tamq;  
 insigni fructu, vt vniuersa illa ciuitas  
 cōmota post ei' ingressum videretur.  
 Quam rem humani generis hostis nō  
 ferens, cōceptum in ipsum odium de-  
 creuit effundere. Erant id temporis I-  
 gnatio socij tres, qui hominis vita per-  
 moti, sese illi eius vitæ sectatores ad-  
 iunxerant, eodē panno vestiti, quibus  
 quidam Gallus adolescens comes ac-  
 cesserat. Quos propterea à panni simi-  
 litudine ensayalados, vulgo Hispani-  
 co vocabulo appellabant. Itaque tum  
 horum Societate, tum hominum ad  
 audiendum Ignatium concursu, tum  
 verò consecuta eximia utilitate exci-  
 tati multi, multa, vt fit, pro sua quisque  
 opinio.

opinionem loquebantur, variaque, & supra veritatem etiam aucta in utramque partem spargebantur in vulgus. Rem ad Inquisitores fidei Toletum rumor pertulit, rei novitate commoti, ut nascenti malo (si quod esset) occurrant, Complutum veniunt: quid doceat, quid agat Ignatius, quemadmodum vivat, diligentissime inquirunt. Cum autem omnia ex ordine, tum illius verba, tum facta rectæ fidei, pietatiq; consentanea reperissent, ne appellato quidem illo, rem integram Archiepiscopi Vicario, qui tum Ioannes Figueroa erat, relinquunt, ipsi Toletum revertuntur. Interiectis aliquot diebus, Vicarius Ignatio, sociisque ad se vocatis dixit, inquisitum esse diligenter in eorum vitam atque mores, totamque inquisitionem, & causam accuratè esse perscriptam: nullum tamen errorem in doctrina, nullum in vitæ ratione vitium inueniri. Quocirca posse illos pro suo arbitrio agere, citraque impedimentum vllum in proximorum salutem incumbere. Illud tamen sibi haud placere, quod vno omnes vestitu, cum religiosi non essent, uterentur, satius fore, idque se velle, atque etiam præcipere, ut socij duo nigris vestibus, duo alij ruffis.

ruffis induerentur, Gallus adolefcens  
 fuum habitum retineret. Ignatius, fa-  
 cturos fe quæ iuebantur, refpondit  
 quod & fecerunt. Post paucos item die-  
 es Vicarius Ignatium nudis pedibus  
 vetat incedere: ipfe verò calceamenta  
 induit, vt erat in huiusmodi rebus, cū  
 præciperentur, facile obfequens. Ali-  
 quot menses effluxerant, cū denuò  
 in eius vitam inquititur: fed post ma-  
 gnā inquisitionem, tum etiam inta-  
 ctus relinquitur. Neque tamen iccirco  
 quieto effe illi in pofterum licuit. Et  
 enim in eorum numero, qui multum  
 in pietate Ignatij confilij profecerāt,  
 duæ fœminæ erant viduæ, mater & fi-  
 lia, nobiles & honeftæ, filia etiam ata-  
 te florens, & formæ. Quæ pio quidem,  
 fed non fecundum fcientiam defide-  
 rio permotæ, primū quidem Igna-  
 tio improbante, poftcā verò etiam ne-  
 fciente, folę fuis pedibus, & in fpeciem  
 mendicæ, longam peregrinationem re-  
 ligionis caufa fufceperant. Quæ res Ig-  
 natio magnam immeritò conflauit  
 inuidiam. Nam ad eum iam extra Xe-  
 nodochium habitantem, ac nihil tale  
 fufpicantem apparitor Vicarij venit,  
 facile fequentem, in carcerem ducit.  
 Aeftiuum tempus tunc erat, carcereq;  
 li-



liberiori utebatur, quocirca frequētes ad eū auditores confluebant, quibus Christianas ipse institutiones enucleabat, spiritualesq; exercitationes nihilo quā antea remissius tradebat. Illustribus nonnullis viris atq; fœeminis (in ijs Teresa de Cardenas, genere & pietate præstanti, & Leonore Mascarenç, Philippi Hispaniarū Principis postea moderatrici) sua ad illū liberandū studia profitentibus remisit, neq; illorū auctoritatem interponi, neq; vllū omninō patronū aut aduocatū adesse sibi apud iudicem passus est. Nam cū nullius sibi conscius esset culpæ, defensionem necessariam non putabat, & simul optabat multa pro Christo subire incōmoda, & ab Ecclesiasticis magistratibus dirigi, quibus obedientem semper se, ac facilem præbuit. Vnus ex socijs Segouix id temporis erat, nōdum planē ex graui morbo cōfirmatus. Qui cum in vincula coniectum Ignatium accepisset, properē Complutum venit: in eūdem se carcerē vltiō includit: Ignatij monitu Vicario se sistit: illius iussu in carcerem reducitur, Sed paulō post Ignatij cura eximitur, de imbecilla illius valetudine magis, quā de sua incolumitate solliciti, Septimum decimum

cimum iam diem in carcere Ignatium  
 agebat, cū nihil ipse vel sciret, vel cōi-  
 stura assequi posset, quam ob rem ef-  
 set in custodiam à iudicibus traditus.  
 Tunc Figueroa in carcerem ad eum  
 venit, multa de homine sciscitatur, in-  
 ter alia, eāsne, quas dixi, matrem, ac fi-  
 liam nosset? annuit Ignatius. Tum Vi-  
 cari<sup>9</sup>. Ecquid illis profectiois auctor,  
 aut conscius, antequam abirent, fuisset?  
 Nihil certè minus: immò hoc tibi af-  
 firmo, percurrationes eiusmodi in vi-  
 uerum illis dissuasisse me, ne filia ea  
 ætate ac forma in cuiusquam petulan-  
 tiam incurreret. Possent illas intra do-  
 mesticos parietes: non minus pietati  
 vacare, quàm foris, & quidem tutius,  
 ac liberius. Cui iudex arridens: At qui-  
 isthæc ipsa, inquit, est causa, cur com-  
 prehensus sis. Duo & quadraginta dies  
 abierant ab eo die, quo in carcerem pri-  
 mùm missus est: tum reuersis iam mu-  
 lieribus, & interrogatis, publicus Vica-  
 rij scriba Ignatium conuenit: iudicis  
 sententiam legit. Ea sententia tria cō-  
 tinebantur. Primùm, Ignatium, soci-  
 osque prorsus integros, atque innocen-  
 tes videri. Alterum, vt idem habitus il-  
 lis, qui reliquis scholasticis, idemque ve-  
 stitus esset. Postremum, vt quoniam  
 essent

essent in sacris litteris rudes (quod cō-  
sulto ipsemet non obscure præ se fere-  
bat Ignatius) ne ad populum de sacro-  
sanctis Christianæ religionis arcanis,  
ad quatuor proximos annos, loquan-  
tur, quibus quidem cognitionem rerū  
maiores sibi parauissent. Ea sententia  
audita, respōdit iudici de ea parte, quæ  
ad vestitum pertinebat, Ignatius: Cū  
nos iussistis vestes nostras inficere, nō  
grauatē obtemperauimus: quia facile  
erat eidem pauno alium colorem in-  
ducere: nunc verò, cū pretiosum ha-  
bitum, & minimè egenis conuenien-  
tem imperatis, obedire nō possumus:  
neque enim id præstare in nostra est  
potestate. Itaque iudex vestes illis, pi-  
leos, cæteraque scholasticorum more  
emi à se iussit. Sed Ignatius post sentē-  
tiam nonnihil hæsitauit, quòd cū cursum  
suum impediri, aditumque sibi ad salu-  
tem proximorum intercludi cerberet.  
Itaque statuit ad Toletanum Archie-  
piscopum Alfonso Fōsecam, Pintia  
commorantem, se conferre; eiusque  
iudicio stare: ad quem eum in modū,  
quem diximus, indutus cum socijs dis-  
cessit. Illum benignè exceptum Archi-  
episcopus fouit, & sua spōte ad Salmā-  
ticensem Academiam propensum via-  
tico

rico iuuit, suamque & suorum operam atque omne genus officij humanissime detulit.

*SALMANTICAE RYRSVS  
comprehenditur, & liberatur.*

CAPVT XV.

**S**almanticæ cœpit (vt cōsueuerat) populi animos ad Christi imitationem acuerere. Ex more sæpius confitebatur pio euidam, & religioso ex Dominicana familia viro, qui in doctissimo illo Diui Stephani conuentu cōmorabatur. Haud ita multò post quã Salmanticam venit, Cōfessarius Ignatio significat, sui Cœnobij fratres, magno ipsum alloquendi audiendique desiderio teneri. Cùm se præsto esse respondisset, ad prandiũ in diem Dominicum inuitat, simulque vt se præmuniret, præmonet, velle illos multa de ipso sciscitari, multa cognoscere. Ad conditum diem Ignatius cum socio venit, pransi, in sacellum ipsi, Confessarius, fratres præterea duo cōueniũt, quorum alter Cœnobium pro Priore gubernabat. Is blande Ignatium intuitus, ac beneuolè. Gaudeo, inquit, cùm tam multa de tua virtute

ac

ac moribus passim prædicari audio, teque eum esse, qui non tibi solum, sed aliorum etiam salutem seruias, & Apostolicum in morem circumiens, populos doceas. Neque hoc præcipuum mihi, sed commune etiam cum reliquis nostris gaudium est. Quod quo solidius gaudeamus, cupimus his de rebus sigillatim aliqua ex te sanè audire, imprimisque in quo studij genere euigilaeris, quibus in litteris versatus sis. Cum simpliciter candidèque id quod erat, Ignatius respōdisset; Quid est ergo, inquit, quod tam tenui doctrina præditi, ac primis vix litteris imbuti, concionamini? Nos verò, Ignatius inquit, non concionamur, sed interdum cum res fert, de diuinis rebus familiariter loquimur. Et ille, De quibus nā, inquit, diuinis rebus? hoc enim est, quod maxime scire auemus. Tunc Ignatius: Nos aliquādo, Pater, de virtutis dignitate, ac turpitudine vitiorum loquimur: eos, qui nos audiunt, ad virtutes hortamur, à vitijs abducim<sup>9</sup>. Vos, Prior Vicarius inquit, in docti estis, ut vos ipsi profiteamini, de virtutibus tamen, & vitijs sermonem habetis, atqui de his quidem verba rectè facere nemo sanè potest, nisi aut doctrina labore

labore

labore parta, aut diuinitus infusa : in vobis doctrina non præstat, Spiritus ergo sanctus. Atque hoc est de Spiritu sancto, quod scire cupimus. Hic aliquid quantisper Ignatius hæsit, nouo illo genere argumentandi commotus. Post aliquantulum verò silentium, cum collegisset, Sit, inquit, satis, nihil enim est opus, vt ultra progrediamur. Cum verbo de Spiritu sancto Vicarius præmeret, & vehementer ad respondendum, Ignatium vrgeret, elicere ab ipso illud tantum potuit: Ego, pater, nihil quidem amplius dicam, nisi id forte iubeant, qui superiores sint, & mecum agere suo iure possint. Cum tot modis, Vicarius inquit, errores in festis tot nouæ pestes quotidie existant; quomodo doceas explicare non vis? atqui facillime efficiemus, omnia vt dicas. Hic, inquit, manetote. Remanent Ignatius & socius in Sacello. Illi festinanter abeunt. Omnes Cœnobij fores occludi iubentur in cubiculum homines abducunt: tres ipsos dies eos retinent in Cœnobio qui quidem dies Ignatio fuere lætissimi. Cum monachis cibum vnà capiebant: vbi Ignatius erat, eò multi ex ipsi ad illum audiendum ventitabant: cubiculum ferè semper erat auditoribus

refe

refertum, quib. ipse audacter, palamq; de diuinis rebus ex more loquebatur, multisq; suū institutū, ac docēdi rationē probabat. Quocirca dissētio quodāmodo inter illos facta est, cū alij probarēt, alij verò improbarēt eius doctrinam. Interea religiosi partes, temporū calamitatibus admoniti, & Ignatij de diuinis rebus loquendi vi ac libertate, hominum ad eum concursu, rumore denique ipso (qui aliquid veritati semper affingit) commoti, ne quid fortè mali subesset, rem deferunt ad Episcopi Vicarium. Vicarij apparitor post triduum in Cœnobium venit: Ignatium, sociumque comprehendit: in carcerem contrudit, nō quidem in inferiorem cum facinorosis hominibus, sed in superiorem quendam à communi habitatione seiunctum, malè materiaturum, peruetustum, repletum sordibus, foetore tetrum, atque eadem cathena duodecim, tredecimve palmorum longitudine, altero vtrumque pede colligat, atque ita constringit, vt alter alteri semper adesse cogeretur. In hunc modum noctem illam peruigiles, orantesque traducunt. Postridie, vbi rescitum est eos in custodia esse, lectorum stragula, cibos, reliqua

E vitæ

vitæ necessaria abundè suppeditârunt  
 pij viri, quorum magnus numerus, au-  
 diendi causa, ad Ignatium cōcurrebat.  
 Ille verò morem suum illum retine-  
 bat, virtutes ornandi, accusandi vitia,  
 excitandi omnes ad humanarum re-  
 rum despicientiam, Baccalaureus qui-  
 dam Frias, Episcopi Vicarius, ad eos  
 in carcerem venit: vtrumque separa-  
 tim interrogat: illi Ignatius scripta  
 sua, hoc est, Exercitationum spirituale-  
 um librum ad examinandum tradit  
 duos (præter eū qui secum erat) socios  
 sibi esse monet: locū, vbi sint, indicat.  
 Socij illi, Vicarij iussu, in inferiore car-  
 cere detruduntur, vbi reliquæ custodi-  
 asseruabatur, quo ab Ignatio, parietibus  
 disiuncti essent. In hac item iactatio-  
 ne, & oblata sibi tempestate, nullum  
 innocentia suæ defensorem adhibuit.  
 Præterierant aliquot iam dies, cum  
 ad iudices quatuor, viros eruditos, &  
 graues, Ignatius adducitur. In ijs tres  
 Doctores fuerunt, Isidorus, Parauignus,  
 Frias; quartus, is qui est à me nomi-  
 natus Baccalaureus Frias, quem pro Ep-  
 scopo fuisse iam diximus. Hi omnes  
 traditum Exercitationum librum le-  
 gerant, & curiosius etiam expend-  
 rant. Productum ad se Ignatium mu-



rogant, multa non modò de libro illo, sed de abstrusis, reconditisque Theologiæ quæstionibus, de inexplicabilibus sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, atque Eucharistiæ mysterijs, & id genus alia percontantur. Ad quæ Ignatius (se in creditum modestè præfatus) tam doctè grauitèrque respondit, ut magis admirationi esset, quàm reprehensioni locus. Deinde Episcopi Vicarius quæstionem ex iure canonico enodandam Ignatio proposuit: quam ille (cum se prius ignorare Doctorum de eare sententias dixisset) ita dissoluit, ut scopum ipsum attingeret. Deniq; iussus est, primùm Decalogi præceptum, ut populis solebat, exponere. Ille verò tam multa, tam exquisita in eam rem differuit, ut omnè illi ultra interrogandi cupiditatè abijcerent. Vnū erat, quod iudices nõ satis probare videbantur: quod initio ferè Exercitationum spiritualium positum, eam doctrinam continet, qua docemur, cogitationem, quæ peccatum veniale sit, ab ea cogitatione, quæ sit mortifera, verè secernere. Id vitio propterea vertebant Ignatio, non quod falsum esset, sed quod cū minus esset doctrina excultus, ea constitueret, quæ discerni

discerni absque magna doctrina non possunt. Ad quod Ignatius tantum, Vera ne sint an falsa, quæ scripsi, vestri iudicij est ( ego enim meum non interpono) si vera sunt, probate; si falsa, reijcite. Illi tamen nullo modo improbare ausi sunt. Multi, ut supra diximus, ad Ignatium, visendi audiendiq; gratia, conueniebant; ex quorum numero Franciscus Mendotius (is qui Burgenfis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis postea excessit è vita) vicem illius dolens ab eo familiariter aliquando quesivit, dolenter ne ferret carcerem illum, & vincula? cui Ignatius: An tantum malum tibi videtur carcer esse? at verò non tantum multæ Salmanticæ compedes sunt, non tot cathenæ, quin ego plures pro Christo cupiam. Atq; etiam sacratæ quædam feminae, sanctitatis Ignatij opinione commotæ & priuatis eius colloquijs pietatem aliquando incensæ, ad ipsum in carcere inclusum epistolam scripserunt; in qua & eius iniurias dolebant & eos qui Ignatium in periculum illud discrimenque coniecerant, grauius accusabant: ad quas Ignatius respondit, oppido se mirari, illas quibus Christus mysterium notum ac peritatum esse oportebat, immensos gra-

ria thesantos in cruce inclusos penitus ignorare: se quidē gaudio exultare, & maiora & grauiora propter Dominum suum patiendi, perferendique cupiditate vehementer ardere. Idque grauissimis verbis atq; ardentibus scripsit, prorsus vt illas & puderet sui, & Ignatium imitandi patiendique propter Christum inflammatū quoddam desiderium incesset. Dum in custodia Ignatij, socij tenerentur, accidit vt reliqui vincti, præterquam illi, apertò carcere fuga omnes euaderent. Itaque socij postero die manè, soli parentibus foribus reperti sunt. Idq; tum apud iudices, tum apud populum multum admirationis habuit, quocirca è carcere emissi sunt, & in amplam domum traducti. Secundò & vicesimo die, ex quo capti fuerāt; accersiti sunt à Iudicibus, vt sententiam, quæ in eos ferebatur, audirent. Huius sententię summa erat, vitam atq; doctrinam Ignatij, sociorūque integram, nullaque omninò labe aspersam videri: liberum illis esse, pro sua cōsuetudine, populum docere, deque omnib. rebus diuinis colloqui: illud vnum cauerent, ne, quid mortale peccatum, quid veniale esset, definirent, nisi quatuor adhuc annos in lit-

terarum studio posuissent. Quā sententiam tam diu seruaturum se dixit Ignatius, quam diu in illorum iurisdictione, ac potestate esset. Neq; enim esse quum, ut nullo vitio in vita deprehenso, nullo errore in doctrina, ianuā sibi ad animarum vtilitatem obstruerent, ac loquendi liberè facultatē eriperent se sui iuris esse, suāq; vitæ rationibus consulturum.

*IN PARIISIENSEM ACADEMIAM studiorum causa contendit.*

CAPVT XVI.

**E**X quo primum Ignatius animus ad studia contulit, magna deliberatione sollicitari cœpit, vtrumne, decurso studiorum curriculo Religionem aliquā ingredi, an liber atque expeditus ad salutem animarum vagari, aliosq; sibi eiusdem propositi socios deberet adiungere. Quæ sanè consultatio valdè eius animū sollicitū habebat. Quòd si religio cōplectēda esset, eadem sequenda videbatur, quæ labor factata esset, ac planè dissoluta, in qua videlicet multa pati, multa ab hominibus, seueriores disciplinam recusantibus, perferre cogeretur. Sed in ha  
delibe

deliberatione multò in eã partem ei<sup>9</sup>  
animus erat propensior, vt socios co-  
geret, quo liberiùs, pleniusq; omnes  
suas curas cõmodis proximorũ conse-  
craret. Quæ sententia, quia melior, vi-  
cit. Itaq; hunc animũ etiam tunc habu-  
it, cũ ferrea illa cathena deuinct<sup>9</sup> erat;  
ex qua simul atq; expedit<sup>9</sup> fuit, Salmã-  
ticæq; tantũ impedimentũ obijci suis  
cõsilijs vidit, aliò sibi emigrandũ exi-  
stimauit. Quod & fecit, multis opti-  
mis atq; clarissimis viris repugnantib.  
molesteq; eius discessum ferentibus.  
Re igitur cũ socijs cõmunicata, & cõ-  
posita, solus asellũ libris onustũ agens,  
in viã se Barcinonem versus dedit, vt  
Lutetiam Parisiorũ studiorũ gratia se  
se conferret. Barcinonẽ vbi peruenit,  
omnes ei<sup>9</sup> necessarij ac familiares, co-  
gnito eius animo, vchementer profe-  
ctionem illi Parisiensem dissuaserunt.  
Erat summa hyems, bellum inter Hi-  
spanos Gallosq; ingens & sequũ, iter in-  
festũ ac periculosum multa crudelita-  
tis exempla, eaq; recens, ac hostiliter à  
militibus in viatores expropta, profe-  
rebantur. Hæc omnia tamen constan-  
tem Ignatij animũ, ac diuino concita-  
tũ impulsu, retardare non potuerunt.  
Quapropter viq; se cõmisit, Deoq; duce

ita pedibus iter illud confecit, vt mense Februario ineunte, anni millesimi quingentesimi vigesimi octavi, Lutetiam Parisiorum sanus incolumisque peruenerit.

VITÆ IGNA-  
TII LOIOLAE,  
LIBER SECVNDVS.

STVDIORVM ILLIVS  
*labor & fructus.*

CAPVT PRIMVM.



NGRESSVS Lutetiam Ignatius, cogitationes suas eò potissimum contulit, vt rationē aliquā inueniret, quò eorū, quæ ad vitā necessaria sunt, cura liberatus, in studijs ingenuarum artium sedulo versaretur. Quæ res secus longè accidit: magnam enim in illa studiorum tractatione molestiam & difficultatem sustinuit. Principio, quandam pecuniæ summam dono sibi ex Hispania missam, accepit  
cam